This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

HDI
HW 2Q0W C

Wehrmann
Platonis de summo bono doctrina

Y42 P5

Google

Digitized by Google

3585. b.

PLATONIS

DE SUMMO BONO

DOCTRINA.

RATIONE ET ANTIQUIORUM SENTENTIARUM ET ARISTOTELIS JUDICII HABITA

EXPOSUIT ATQUE ILLUSTRAVIT

THEODORUS WEHRMANN.
DR. PHILOS.

Discarded by authority of the Andover-Harvard Theological Library

BEROLINI
TYPIS ET IMPENSIS GEORGII REIMERI.
A. 1843.

Digitized by Google

KΣ 37852

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY
DEC 15 1961

Ζητεῖτε πρῶτον τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ καὶ τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ· καὶ ταῦτα πάντα προστεθήσεται ὑμῖν.

Digitized by Google

PATRI

OPTIMO DILECTISSIMO

MAGISTRO DE SE BENE MERITO

IOANNI CHRISTIANO THEODORO WEHRMANN

DIVINI VERBI MINISTRO

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

DICAVIT

AUCTOR.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO

Quaestionis in hoc libello institutae gravitatem et ad philosophiam quum totius antiquitatis tum Platonis cognoscendam momentum, non est, quod multis verbis praedicem. Nam quae Platoni de summo bono placuerint, implicita esse et cohaerere cum reliqua ejus doctrina, ethicorum autem praeceptorum, quae excogitaverit, quodammodo summam continere, spero ex hac ipsa scriptione fore manifestum. Nec vereor, ne ex eadem universa historia philosophiae antiquae nihil fructus percipiat. Quamquam enim sententias de summo bono ante Platonem a Graecis defensas eo potissimum consilio exposui, ut in Platonis doctrinam introducam, quibusque historicis, ut ita dicam, fundamentis ea nitatur, ostendam, tamen ita quoque me aliquid lucis non solum illi antiquissimae philosophiae, sed etiam iis quaestionibus allaturum esse cupivi, quas post Platonem a veteribus philosophis de bonorum finibus studiosissime agitatas esse, quisquis Ciceronis scripta philosophica vel obiter inspexit, non ignorat. Qui vero penitus perspici possunt dilucideque explicari, quae Academici, Peripatetici, Stoici, Epicurei de hac re senserint, nisi exploratis Socraticorum atque inprimis Platonis, a quibus illi omnes orti sunt, de eadem sententiis? Quibus de causis operae pretium fore existimavi, id quod a neminedum accurate factum esse vidi *), praemissa illa

*) Notandum mihi est, me dissertationem de consensu philosophorum veterum in summo bono definiendo ab J. A. H. Tittmanno, professore Lipsiensi abhinc decem fere annos mortuo, conscriptam (quae prodiit Lipsiae a. 1793) inspicere non potuisse.

Digitized by Google

introductione, Platonis de summo bono doctrinam ex ejus dialogis eruere et componere. Verum alter etiam fons, ex quo quaedam cognitio Platonis hauriri possit, praebetur in Aristotelis scriptis, quae ad philosophiae Platonicae singula praecepta illustranda, sensum interiorem aperiendum, veritatem examinandam adhibita magnam habere mihi videntur utilitatem. Itaque ea saepe respiciens, quae Aristoteles de rebus a Platone tractatis Platonicisque sententiis judicavit, simul ad rationis inter hos intercedentis explicationem aliquid pro viribus studui conferre.

Quantulocunque autem cum fructu in his difficilibus studiis sum versatus, de iis, quae nescio an saepe audacius quam verius in medium protulerim, aequos et benevolos spero fore judices. Quum enim non id agam, ut quaequae ego ponam, ea sint superiora, sed veritati studeam, nec quidquam opiner cuiquam posse melius contingere, quam veriora doceri, multa sum prolocutus, quae nunc quidem pro veris habeo, forsitan autem satius fuisset, in pectore aut in scrinio diutius esse retenta. Nec profecto jam evulgassem hanc commentationem, nisi tum assensus amplissimi ordinis philosophorum Berolinensis, cui eam, ut doctoris philosophiae honores obtinerem, tradideram, tum Trendelenburgii, viri antiquae philosophiae peritissimi, adhortatio me impulisset. Cui viro illustrissimo etiam propterea, quod et litteris et ore multa me docuit, ad multa discenda me excitavit, non pauca debeo atque ut publice gratias agam maximas, libenter utor hac occasione.

Scr. Berolini mense Julio a. MDCCCXLIII.

Digitized by Google

CONSPECTUS LIBRI.

Introductio.

Platonis doctrina de summo bono.

Digitized by Google

Digitized by Google

INTRODUCTIO.

Notio summi boni describitur et, quae de eo ante Platonem viguerint sententiae, exponitur.

Cap. I.

Priusquam aggrediamur ad ipsam Platonis sententiam de eo, quod pro summo bono sit ducendum, exponendam, necesse est sensum et consilium omnis de hac re institutae disputationis explicemus. Nisi enim id, de quo est disputatio, quam accuratissime describitur, verendum est, ne eidem voci diversae sententiae subjiciantur neque recte dijudicare liceat, utrum quis de ea re, quae quaeratur, an de alia sive vere sive falso disseruerit. Conveniendum igitur est de notione summi boni, idque ita definiendum, ut intelligatur, et quam vim ex nostra sententia haec vox habeat, et qua ratione populus graecus illam notionem mente conceperit linguaque expresserit.

Duplex est sensus, quo in sermone vulgari usurpatur nostrum vocabulum gut, cui tanquam prorsus pari et idem valente utimur hic latino nomine boni. Dicitur enim aliquid bonum aut per se spectatum aut ratione habita alterius rei, cui vel ad quam bonum sit, et in opinione populari utraque significatio ita discerni solet, ut eadem saepe res huic homini quidem bona, per se autem mala esse judicetur. Sed si relinquimus hunc sermonem vulgarem, ipsamque sequimur nostram linguam, quam quidam philosophiae natam esse dixit, licet fortasse contendere, has notiones, quae uno verbo expressae sint, non ita esse inter se diversas, neque id, quod cui vere bonum existimari possit, per se non esse bonum. Quid ap-

Digitized by Google

pellamus per se spectantes bonum? Id quod tale est, quale esse debet, sive quod naturae suae munus explet finemque ei ab hac propositum est assecutum. Quum autem omnium rerum universitas, ut et religione et philosophia docti credimus, certa ratione et uno numine sic gubernetur, ut omnia uno consilio gerantur, fines singulis rebus propositos inter se connexos atque uni summo fini subjectos esse oportet. Quod si verum est, singulae res unius magni systematis quasi membra sunt, ideoque id, quo intendunt, nihil esse potest nisi commune totius consilium, quod pro sua quaeque parte assequi student. Si vero cui rei bonum id est, quod efficit, ut bona sit, commune illud consilium, quod omnia, quatenus ei respondent, eatenus bona reddit, omnibus est bonum, neque quidquam cuiquam rei bonum esse potest, nisi quod hoc summo bono continetur atque ad assequendum verum finem illi propositum et cum universi fine congruentem conducit. Unde apparet, eam rem, quae ad alteram referatur et tamquam finem suum non in se sed in altero aliquo habens spectetur, si huic vere bona sit, per se quoque bonam esse; nam si is finis ei est propositus, ut alterum quid in fine assequendo juvet, hoc ad finem perducens ipsa suum finem consequitur. Iam his ad hominem translatis dici oportet, **bonum** hominem esse, qui suum finem a fine et consilio totius mundi sive a natura praescriptum assecutus sit atque hoc modo pro sua parte efficiat, ut totum bene se habeat, et ei **bona** esse quaecunque efficiant, ut ad hunc finem perveniat. Hic ergo finis, quem quisquis assequitur bonus fit, omnia singula bona complectitur, atque id est homini summum et absolutum bonum, quod unice ei est appetendum, quoque impetrato naturae suae munus perfecte explens nulla alia re indiget.

Verum ab hac summi boni significatione, secundum quam id absolutum integrumque est et, quaecunque hominis praestantiam juvant eumque bonum reddunt, in se continet, ita ut nullum bonum ei addi possit, accurate distinguenda est altera ratio, qua ex singulis bonis, quae omnia illud summum bonum complectitur, id eligitur, quod eorum maximum et supremum

Digitized by Google

sit. Si ex. gr. homini bona sunt voluptas, sapientia, virtus, quaerere licet, quid ex his tribus, si cum alteris compararetur, pro supremo bono sit ducendum et inter haec summum bonum, relativo sensu sic appellatum, maxime appetendum, quamquam per se patet, horum trium et si quae sint aliorum omnium bonorum cumulatam demum complexionem efficere absolutum illud et consummatum bonum [1]).

Iam videamus, quid cognoscere voluerint Graeci, quum de summo bono, quod *τἀγαθὸν* appellabant, quaererent. Notio, quae eorum verbo *ἀγαθὸν* subjecta est, prorsus congruit cum eo, quod Latini bonum, nos gut nominamus et modo definivimus. *Ἀγαθὸν* enim dicitur quidquid naturae suae consilio sive notioni suae respondet, *πρᾶγμα εὖ ἔχον ἢ τετελεσμένον*, quod *εὖ τὸ ἑαυτοῦ ἔργον ἀποδίδωσιν* (Aristot. Topic. VI, 12 [2]). Eth. Nicom. II, 5 init.). Sic apud Xenophontem (Memor. III, 4, 6) dicitur aliquis esse *ἀγαθὸς προστάτης, ἐὰν γιγνώσκῃ τε ὧν δεῖ καὶ ταῦτα πορίζεσθαι δύνηται. Ἀγαθὸς βασιλεὺς* est, qui ea facit, quorum faciendorum causa regnat (ib. III, 2), *ἀγαθὸς δρομεύς, ὁ εὖ θέων* (Platon. Hipp. Min. p. 373 C), bonus denique fur dicitur, qui perfecte furatur (Arist. Top. l. l.). Quemlibet igitur finem propositum qui assequitur, in hac re bonus est, licet ipse finis

---

1) Hanc vocabuli summum ambiguitatem, qua neglecta multi et philosophi et philosophorum interpretes in errores inciderunt, Kant quoque notavit (Kritik der prakt. Vern. sect. I. lib. II. cap. 2.), distinguens bonum supremum (das oberste) et consummatum (das ganze und vollendete Gut), ac primus, ut ait Baumgarten-Crusius (de Philebo Platonico p, 11.), aperuit. Hujus verba transcribam, „Summum, quod apud Romanos sic dicebatur, bonum, poterat et id, quod primum est dignitate, denotare, et vero etiam, quod omnes habet felicitatis numeros, absolutum et integrum." Addit idem, plena esse, Peripateticorum praecipue, scripta effatis iis, quae, virtutem supremum quidem bonum esse, largiantur, sed, confici ea beatissimam vitam, pernegent.

2) In Aristotelicis locis citandis ubique in hoc libro secutus sum capitum distinctionem, quae est in editione Bekkeri, cujus interdum etiam paginas annotavi.

Digitized by Google

sit malus, utpote cum eo, quod summus finis et per se bonum est, non conveniens. Ἀγαθόν τινι, vel τινος, vel πρός τι, vel εἴς τι appellatur, quod cui vel ad aliquid utile est ejusque consilio servit [3]), neque ullo modo rejicienda est haec boni et utilis confusio, modo ne quod malum consilium ponatur, neve pro utili quidquam aliud accipiatur, nisi quod ad verum finem assequendum conducat. Singularum autem rerum veros fines uno consilio contineri, quod rerum universitati inesset omnibusque rebus commune esset bonum, Graecis ex religione quodammodo persuasum fuit. Quam persuasionem qui tenebant, optimo jure poterant, omnia bona esse utilia, neque quidquam utile nisi quod vere bonum, contendere, quum de nullis aliis finibus cogitarent, nisi qui cum uno summo fine convenirent eique essent subjecti. Hoc sensu ἀγαθὰ in universum dicuntur, quaecunque ad summum mundi consilium, quod ipsum est τἀγαθόν, assequendum pertinent. Homini sunt ἀγαθά, quae huic sunt appetenda, ut pro sua parte illi consilio et ita suo sibi a natura proposito fini respondeat. Nihil igitur ei vere utile est, nisi quod bonum. Nec vero si ipse bonus vocatur, utilitatis notio relinquitur. Nemo enim neque ulla res totum suum finem in se gerit, sed alia ad aliam refertur, et quidquid bonum est, non solum ad suae essentiae finem pervenit, sed etiam pro sua parte, ut ceterae res earumque universitas bona sit, et fini suo respondeat, effecit. Quod autem aliquid bonum reddit, utile est [4]).

Hanc veram boni notionem, relativam sane, sed ad ipsum boni principium et ultimum mundi finem relatam, Graecorum animis obversatam atque ipsa lingua significatam esse, non melius probari potest, quam citatis philosophis, quos graeci

---

3) Vocem ἀγαθὸν hac vi relativa in sermone vulgari tamquam prorsus congruentem cum vocabulis ὠφέλιμον, χρήσιμον, συμφέρον esse usurpatam, vix opus est locis appositis demonstrare. Cfr. Xenoph. Cyrop. II. 1, 27. III. 1, 16. Mem. III. 5, 28. IV. 2, 31. Plat. Alcib. I. p. 125 A. Gorg. p. 505 E. de Rep. III. p. 407. E. V. p. 462 A. VII. p. 522 A. al.

4) Aristot. in Top. VI. 9. ὠφέλιμον, ait, esse τὸ ποιητικὸν ἀγαθοῦ.

Digitized by Google

populi sensum communem optime elocutos esse, nemo negabit. Notum est, inprimis Socratem nullum discrimen statuisse inter id, quod per se bonum sit (quod in hominum actionibus honestum appellatur), et utile, eosque, ut Cicero ait (de Offic. III. 3.), exsecrari solitum esse, qui primum haec natura cohaerentia opinione distraxissent. Omni bono inest sensus relativus, quum quidquid bonum dicitur ad finem quendam referatur. Itaque si quis nullum cuiquam rei finem proponit, nisi qui cum communi fine concinat, rectissime sic loqui potest, ut Socrates apud Xenophontem in Mem. III. 8, 3: *εἴγ' ἐρωτᾷς με, εἴ τι ἀγαθὸν οἶδα, ὃ μηδενὸς ἀγαθόν ἐστιν, οὔτ' οἶδα, οὔτε δέομαι* — ibique IV. 6, 8: *ἄλλο ἄν τι φαίης ἀγαθὸν εἶναι, ἢ τὸ ὠφέλιμον;* Alter hoc negat. Neque aliter judicat Plato, qui in Protag. p. 333 E. *ταῦτ' ἐστιν*, inquit, *ἀγαθὰ ἅ ἐστιν ὠφέλιμα τοῖς ἀνθρώποις*, quocum loco multi alii consentiunt, velut Alcib. I. p. 114 sqq. Lys. p. 220 C. Menon. p. 87 E. Gorg. p. 468 C. 470 A. 499 C. de Rep. II. p. 379 B. de Legg. II. p. 622. Idem bene sic definit (de Rep. X. p. 608 E.) *τὸ μὲν ἀπολλύον καὶ διαφθεῖρον πᾶν τὸ κακὸν εἶναι, τὸ δὲ σῶζον καὶ ὠφελοῦν τὸ ἀγαθόν* (cf. Arist. Polit. II. 2 fin.). Ipse homo bonus inservit communi consilio, rerumque universitatem quodammodo conservat et in fine assequendo juvat; — quidquid homini bonum est, hunc servat et juvat. Haec autem, quae homini bona sunt et ad finem consequendum conducunt, reddunt eum, qui iis omnibus potitur, perfecte bonum, itaque eorum conjunctio ipse finis extremus est, quo hominem omnia sua, quae agat et appetat, referre oportet, ipsum autem nusquam. Apparet, eum omnia singula bona humana in se continere, et esse quod vocetur summum humanum bonum, *τὸ ἀνθρώπινον ἀγαθόν*. Quod apte quidem cohaeret cum fine et consilio totius rerum naturae, quum hominibus nullus alius finis sit praescriptus, nisi ut suo quisque loco ad commune consilium perficiendum afferat quantum possit, et saepissime ipsum vocatur *τἀγαθόν*: tamen accurate secernendum est ab illo communi consilio, quod est id, cujus causa omnia fiunt, *τὸ οὗ ἕνεκα*

Digitized by Google

καὶ τἀγαθόν, ut ait Aristot. in Metaph. A. 3. init., ac τέλος γενέσεως καὶ κινήσεως πάσης. Summum vero humanae vitae bonum idem in Ethic. Nicom. I. 1. appellat τέλος τῶν πρακτῶν, ὅ δι' αὐτὸ βουλόμεθα, τἄλλα δὲ διὰ τοῦτο [5]), et utrumque bonum commemorat in Metaph. A. 2, ubi supremam dicit esse scientiam, quae cognoscat, τίνος ἕνεκέν ἐστι πρακτέον ἕκαστον (τοῦτο δ' ἐστὶ τἀγαθὸν ἐν ἑκάστοις), ὅλως δὲ τὸ ἄριστον ἐν τῇ φύσει πάσῃ. Hoc commune bonum in omnibus, quae fiunt et aguntur, appetitur, διὸ καλῶς, inquit in init. Eth. Nic., ἀπεφήναντο τἀγαθόν, οὗ πάντ' ἐφίεται.

Quoniam autem homo, quum summum suae naturae bonum assecutus est, fieri non potest, quin quam conscientiam et sensum suae perfectionis habeat, omnes Graeci contentum animum laetamque sui conscientiam, quae perfectam hominis bonitatem velut umbra sequitur, cum hac intime conjunctam esse voluerunt, maximique eam esse momenti existimantes, summum bonum non diversum esse judicaverunt ab εὐδαιμονίᾳ sive beatitate. Quum ergo hominem, qui ad summum perfectionis fastigium pervenerit, eundem felicem esse censerent neminemque esse felicem praeter bonum et perfectum, prorsus coaluit quaestio de summo bono sive eo, quod hominem bonum reddat et de humanae naturae praestantia cum ea, quid sit id, quod homini vitam praebeat perfecte beatam [6]).

Summum bonum, quo conficitur vita beatissima, illud est, quod omnia humana bona complectitur, et tamquam consummatum et absolutum neque ulla accessione egens a Platone et Aristotele appellatur τέλειον, ἱκανόν, αὔταρκες, diciturque id esse, quod, utpote omnia appetitu digna in se continens, so-

5) Similibus verbis Plato dicit in Gorg. p. 499 E. τέλος εἶναι ἁπασῶν τῶν πράξεων τὸ ἀγαθόν, καὶ ἐκείνου ἕνεκεν δεῖν πάντα τἄλλα πράττεσθαι, ἀλλ' οὐκ ἐκεῖνο τῶν ἄλλων. Cf. ib. p. 468.

6) τὸ δυνάμενον ἀνθρώποις πᾶσι τὸν βίον εὐδαίμονα παρέχειν. Plat. Phileb. p. 11 D. Cf. Symp. p. 204 E: τί ἔσται ἐκείνῳ ᾧ ἂν γένηται τἀγαθά; Εὐδαίμων ἔσται. Κτήσει γὰρ ἀγαθῶν οἱ εὐδαίμονες εὐδαίμονες.

Digitized by Google

lum per se expetatur [7]). Apparet igitur, proprie hoc esse appellandum *τἀγαθόν*, non *τὸ ἄριστον*, nam id, extra quod nullum bonum est, cum nullo proprie potest comparari. Est quidem *τἀγαθὸν* etiam *τἄριστον*, quia totum praestantius est partibus et quodammodo potest optimum dici. Sed quod multorum bonorum optimum est, nondum est *τἀγαθόν*, ipsum bonum. Quod nunquam licet in numero singulorum bonorum referre, quasi quid boni extra se habeat, atque ex singulis bonis unum, quamquam praestantissimum et supremum, sit. Hoc discrimen, quod supra inter supremum et consummatum bonum statuimus, ab Aristotele acute est animadversum. Dicit enim, beatitatem esse omnium bonorum maxime appetendum, non vero quasi cum iis numeretur singulisque bonis annumeretur; nam si in bonorum referretur numero, extra se haberet bona, ergo ei posset aliud bonum addi neque esset jam consummatum, *τέλειον* et *αὔταρκες* [8]). Licet enim bona va-

---

7) V. Plat. Phileb. p. 20 D. 67 A. 60 C, quo loco dicitur is, cui adsit *τἀγαθόν, μηδενὸς ἑτέρου ποτὲ ἔτι προσδεῖσθαι, τὸ δὲ ἱκανὸν τελεώτατον ἔχειν.* Arist. Eth. Nic. I. 5: *τέλειον τὸ καθ᾽ αὑτὸ αἱρετὸν ἀεὶ καὶ μηδέποτε δι᾽ ἄλλο. τοιοῦτον δ᾽ ἡ εὐδαιμονία μάλιστ᾽ εἶναι δοκεῖ. ταύτην γὰρ αἱρούμεθα ἀεὶ δι᾽ αὑτήν κτλ.* Eth. Magn. I. 2: *τέλειόν ἐστιν οὗ παραγενομένου μηδενὸς ἔτι προσδεόμεθα.* Cf. Phys. III. 6 p. 267 A 9.

8) Eth. Nic. I. 5. fin.: *ἔτι δὲ πάντων αἱρετωτάτην (οἰόμεθα εἶναι τὴν εὐδαιμονίαν) μὴ συναριθμουμένην, συναριθμουμένην δὲ δῆλον ὡς αἱρετωτέραν μετὰ τοῦ ἐλαχίστου τῶν ἀγαθῶν· ὑπεροχὴ γὰρ ἀγαθῶν γίνεται τὸ προστιθέμενον, ἀγαθῶν δὲ τὸ μεῖζον αἱρετώτερον ἀεί. τέλειον δή τι φαίνεται καὶ αὔταρκες ἡ εὐδαιμονία, τῶν πρακτῶν οὖσα τέλος.* Quae verba integra transcripsi, quia multi interpretes, illam duplicem summi boni notionem negligentes, ea non recte intellexerunt, quin etiam ex iis nostrae interpretationi prorsus contrarium elicuerunt sensum. Zell duplicem affert loci explicationem, utramque falsam; nam de conjunctione beatitudinis cum alio bono sermo non est. *συναριθμεῖν* (hoc certe loco, sicut in simili Rhetor. I. 7. p. 1363 B 19.) non significat zusammenzählen, vereinigen, sed id quod latinum verbum connumerare, mitzählen, mit darunter zählen. Michelet hoc loco usus est ad Schleiermacherum impugnandum, qui

Digitized by Google

letudo ἀγαθὸν sit, et omnium bonorum fortasse optimum, quod vocant βέλτιστον vel τὸ μέγιστον τῶν ἀγαθῶν [9]), tamen nemo affirmabit, eam esse τἀγαθόν, absolutum illud bonum, cui nihil addi possit. Tale autem summum bonum quaeritur, quo in constituendo saepe lapsi sunt philosophi, ubi has duas vocabulo ἄριστον subjectas notiones parum accurate discreverunt.

Itaque convenit inter omnes Graecos et doctos et indoctos, summum hominis bonum esse felicitatem sive vitam perfecte beatam: sed quibusnam in rebus haec consistat et quibus rebus vera hominis praestantia cernatur, inde ab antiquissimis temporibus valde est dubitatum [10]). Ut autem, quibus fundamentis nitatur Platonis de hac re sententia, plene perspiciatur, haud ab re erit, opiniones, varias, quae ante illum apud Graecos de summo bono maxime viguerunt, breviter,

---

contenderat, Aristotelicam beatitudinem esse quandam summam. Aristotelem, ait ille (Ethik des Arist. p. 40.), nimis claris verbis dicere, beatitudinem nullam esse summam, nostrum locum (ib. p. 10.) sic interpretans: „Ebensowenig kann die Glückseligkeit eine Summe sein (συναριθμουμένη), denn so müsste das Hinzukommen des kleinsten Gutes die frühere Summe noch als ein mangelhaftes aufweisen." (Similiter loquitur in commentario ad Eth. Nicom.). Atqui est beatitudo de sententia Aristotelis quaedam summa, quippe consummatum omniaque bona complectens. Quam sententiam hic locus non negat, immo nititur eadem. Quia beatitudo est summa sive consummatum quid, omnia humana bona continens, ea nullum bonum extra se habet, nec igitur potest juxta neque inter singula bona poni, nec cum iis numerari. Si enim inter ea connumeratur, potest augeri neque est τέλειον. Unum verbum paraphrastae (qui non minus quam auctor Magnorum Moralium — vid. I. 2, p. 1184 A 15 — rem bene perspexit, et solam nostram, non Zellii neque Micheleti, uti uterque opinatus est, sententiam tuetur) totum loci sensum aperit. Beatitudo non est σύστοιχος τοῖς ἀγαθοῖς. — Vide sis etiam Alexandr. Aphrod. ad Arist. Top. III. 2. (Scholl. ad Arist. coll. Brandis p. 274 B 18.).

9) V. Plat. Gorg. p. 451 E sqq. Phaedr. p. 263 C. de Rep. I. p. 330 D. V p. 457 D. Tim. p. 47 B.

10) Cf. Arist. Eth. Nic. I. 2.

Digitized by Google

appositis tamen plerumque ipsis graecis verbis, adumbrare. Hac enim sola ratione intelligi poterit, et quid Plato ab aliis ac potissimum a superioribus philosophis acceperit, et quantopere ipse de hac gravissima doctrina excolenda sit meritus.

Cap. II.

Quum omnibus, quae fiant, finis quidam sit propositus, cujus fiant gratia, hominis autem natura nulla alia re cernatur, nisi quod ratione praeditus sit et, quae per eum fiant, a consilii sibi conscio agantur, patet, omnem hominem, ubi agat, sequi finem quendam animo ab eo conceptum. Alius autem alio, prout animum habet magis excultum et ex appetitu singulorum quorumlibet praesentium ad altiora magisque generalia evectum, plura cogitatione complectitur, finemque sibi proponit latius patentem, ad quem singula sua referat agendi consilia. Nec tamen quisquis ad unum consilium omnia in vita sua agere videtur, veluti ut voluptatem assequatur, vel honorem, id satis clare perspectum tenet, nec ubique in tali fine appetendo certam viam constanter persequitur: sed multi pro varia vitae conditione modo hoc modo illud maxime appetunt summumque esse bonum opinantur. Philosophi demum est, totius vitae cursum mente complecti intellectisque causis et rationibus uni consilio omnes appetitus omniaque studia subjungere.

Primis igitur populi graeci temporibus, antequam philosophi extiterint, multa quidem videmus singula a poëtis aliisque sapientibus, (qui verbis suis nihil nisi sensum vulgi expresserunt, ita ut eorum dicta saepe in proverbia abirent,) de eo, quid sit summum bonum, esse praecepta, sed carent omnia rationibus neque sunt aperte sic in unum quasi nodum conjuncta, ut unus finis significatus sit, quo omnia expetitu digna contineantur. Attamen nituntur omnia haec effata una quadam sententia populi, quae e communi ejus de rebus divinis et humanis opinione h. e. ex ejus religione pendet. Quae veterum Graecorum vulgaris sententia nulla alia esse videtur, nisi vitam beatam ei potissimum contigisse, qui sine laboribus

Digitized by Google

et aerumnis vivat omni jucunditate fruens, quam res sensum suaviter moventes vitaeque societas et inprimis artes liberales hominibus praebeant. Etenim non solas quaerit Graecorum ingenium corporis voluptates, sed, quamquam eas non spernit, ad altiora tamen extollitur per artes. Quas illi haudquaquam solius voluptatis causa dilexerunt, sed cum sancto deorum cultu omnique pietatis usu tam arcte voluerunt esse conjunctas, ut existimasse appareant, eas ad pulchri honestique amorem alendum atque ita ad intimum animum delectandum maxime pertinere [11]). Eminet illa de beata vita opinio e verbis, quae Ulixem regi felicis Phaeacum populi dicentem facit Homerus [12]) nec minus ex ea quae hujus est de deorum vita et conditione sententia. Quam quum talem esse fingeret, ut convivia dii concelebrarent, summa hilaritate et ex nectaris ambrosiaeque fructu et ex cantu Apollinis ac Musarum redundante gaudentes, clarissime suam i. e. primae aetatis hellenicae opinionem de beatissimo vitae statu significavit. Quum enim omnes antiqui populi ex sua quisque natura sibi fingebant deos, tum maxime Graeci, quidquid boni pulchri beati humanae vitae contingere optabant, diis tribuebant. Idem cadit in Hesiodeam felicissimi hominum generis, quod aureum

---

11) Cfr. quae Aristoteles de musica dicit Polit. VIII. 3: νῦν μὲν ὡς ἡδονῆς χάριν οἱ πλεῖστοι μετέχουσιν αὐτῆς· οἱ δ᾽ ἐξ ἀρχῆς ἔταξαν ἐν παιδείᾳ.

12) Odyss. IX, 5 sqq.:

οὐ γὰρ ἔγωγέ τι φημὶ τέλος χαριέστερον εἶναι,
ἢ ὅταν εὐφροσύνη μὲν ἔχῃ κατὰ δῆμον ἅπαντα,
δαιτυμόνες δ᾽ ἀνὰ δώματ᾽ ἀκουάζωνται ἀοιδοῦ,
ἥμενοι ἑξείης· παρὰ δὲ πλήθωσι τράπεζαι
σίτου καὶ κρειῶν· μέθυ δ᾽ ἐκ κρητῆρος ἀφύσσων
οἰνοχόος φορέῃσι καὶ ἐγχείῃ δεπάεσσιν·
τοῦτό τί μοι κάλλιστον ἐνὶ φρεσὶν εἴδεται εἶναι.

Amorem in omnem naturalem vitae societatem, inprimis parentes et patriam pulcherrime exprimunt vv. 34—36:

ὡς οὐδὲν γλύκιον ἧς πατρίδος οὐδὲ τοκήων
γίνεται, εἴπερ καί τις ἀπόπροθι πίονα οἶκον
γαίῃ ἐν ἀλλοδαπῇ ναίει ἀπάνευθε τοκήων.

Digitized by Google

vocatur, descriptionem, qua id declaratum est, quod pro beatissima vitae conditione habebatur. Est quidem haec vita beata non sine pietate erga deos et justitia, sed commendantur hae virtutes a poëtis nonnisi tamquam vitae beate degendae praesidia firmissima, quippe quia unice juste agendo deosque colendo, quorum favori homines omnia bona debeant [13]), illa vita beata possit comparari [14]). Tantum abest, ut, qui hac prisca aetate de rebus expetendis fugiendisve aliquid pronuntiaverunt, intellexerint, quanti per se sit pretii virtus quantaque voluptas ex ipso virtutis usu redundet, ut pulcherrimum quidem esse judicaverint justitiam, optimum autem bonam valetudinem, jucundissimum cujusvis desiderii expletionem [15]): quarum trium rerum conjunctionem summum iis visum esse bonum, conjicere liceret, nisi ipsi, an haec inter se jungi copularique possent, dubitassent. Maxime nixi opinati sunt vitam beatam fructu perenni multorum singulorum bonorum, inter quae a vetere pervulgato scolio [16]) primum dicitur bona valetudo, secundum pulchritudo, tertium divitem esse sine fraude, quartum denique adolescentia frui cum amicis. Quum enim nondum de eo, quid sit vere bonum, cogitationem suscipere possent, sed sine alta meditatione religione et moribus ducti bene agerent, urgente autem vitae necessitate maxime studiis rerum ad vitam necessariarum tenerentur similiterque ac puerilis ratio est, quidquid sub sensus non cadit, minus curarent, censuerunt ea, quae posterioris aetatis ingenium nihil nisi ad-

---

13) Hanc popularem sententiam etiam Socrates pronuntiat in Platonis Euthyphrone his verbis (p. 14 E.): οὐδὲν ἡμῖν ἐστὶν ἀγαθὸν ὅ τι ἂν μὴ ἐκεῖνοι δῶσιν, eamque suo more attingit Arist. Eth. Nic. I. 10.

14) Cfr. Hesiod. Opp. et DD. vv. 208 sqq. (οἳ δὲ δίκας ξείνοισι κτλ.)

15) Distichon est, quod inscriptum fuit Delio Latonae templo (vid. Arist. Eth. Nic. I. 9. Eth. Eud. init.) et inter elegias quae Theognidis nomen ferunt, sic legitur (ed. Bekker v. 255 sq.):

Κάλλιστον τὸ δικαιότατον, λῷστον δ᾽ ὑγιαίνειν·
Πρῆγμα δὲ τερπνότατον τοῦ τις ἐρᾷ τὸ τυχεῖν.

Sophocles idem jambis expressit. Vid. fragm. Creusae.

16) Ascribitur plerumque Simonidi ejusque argumentum affertur in Platon. Gorg. p. 451 E (ubi cfr. Schol.) de Legg. I. p. 631. C.

jumenta esse ad summum bonum intellexit, maxime vel unice esse bona et appetenda [17]). Cui sententiae etsi favere non videtur Solon Croesum admonens, non divitiis niti vitae beatitatem, tamen apparet, eum nihil sentire nisi, solas divitias non sufficere ad beate vivendum, sed unum beatum praedicandum esse, qui per totam vitam bona valetudine satisque externis bonis (βίῳ ἀρκέοντι) instructus in civitate bene constituta vixerit, ac bonos liberos nepotesque relinquens honorificam sit consecutus mortem [18]). Simili ratione Hippias apud Platonem (Hipp. Maj. p. 291 D.) id, quod semper et ubique homini pulcherrimum sit, contigisse dicit ei, qui fruens divitiis, bona valetudine, honoribus ad senectutem venerit parentibusque suis suprema bene solverit atque ipse a suis magnifico sit elatus funere. Et ex his et ex aliis multis effatis efficitur, Graecorum fuisse communem opinionem, ad summum humanum bonum non modo requiri omnium illorum bonorum per totam vitam fructum, sed etiam honorem, quo mortuum prosequantur superstites [19]). Splendido enim funere multoque luctu probant, carum illum sibi fuisse, libenterque se ejus memoriam conservaturos. Quod autem talem memoriae sempiternitatem Graeci maxime sibi exoptaverunt, causa esse videtur commune immortalitatis desiderium, quo homines ita te-

---

17) Cfr. Cicer. Parad. I. 2: Equidem continentissimorum hominum, majorum nostrorum, saepe requiro prudentiam, qui haec imbecilla et commutabilia pecuniae membra verbo bona putaverunt appellanda, quum re ac factis longe aliter judicavissent.

18) V. Herod. I. 30—32. Arist. Eth. Nic. X. 9. cf. I. 11.

19) Ulixes, in mari tempestate jactatus, optat se in Troade jam caesum esse; nam, inquit, τῷ κ' ἔλαχον κτερέων, καί μευ κλέος ἦγον Ἀχαιοί (Odyss. V. 311.); et Elpenor apud inferos obsecrat Ulixem, ne ipsum relinquat ἄκλαυστον ἄθαπτον (ib. XI. 72.) Solon quoque in carmine negavit, velle se suam mortem lacrimis carere. V. Cicer. Tusc. I. 49. ibique interprr. — Ad quam de sepulturae gravitate opinionem pertinent communes Graecorum mores et leges, quae omnes mortuos a cognatis, hostes caesos a victoribus sepultura affici, quia haec essent justa et debita (τὰ δίκαια, νομιζόμενα, προσήκοντα), jubebant. Vid. Bekker Charikles II. p. 166 sqq.

Digitized by Google

neri solent, ut eum, cujus vitam terrestrem immortalitas non excipiat, negent omne humanum bonum esse adeptum [20]. Est enim desiderium immortalitatis, ut ait Plato [21], quod unusquisque gloriam appetit nec non reformidat post mortem jacere sine nomine. Eum solum esse vere immortalem, qui secundum aeternas leges divinas vitam degerit, ac qui pro sua parte ad id, quo omnia tendant, perficiendum contulerit, hunc cum fructu ex semente, quam fecerit, per omne tempus proveniente semper vivere, etiamsi nomen ex posteritatis memoria mox excessisset: Graeci priscae aetatis nondum potuerunt intelligere. Nemo extitit inter eos, qui unum certum finem, ad quem referantur omnia, animo clare conceperit, atque a multis **bonis** ad unum vere **bonum** [22]) cogitationem valuerit attollere. Neque potuit existere. Nam ut, quid homini pro extremo bonorum sit ducendum, quemque finem natura ei proposuerit, philosophica ratione exquireretur, fieri non potuit, priusquam coeptum est totius rerum universitatis rationem et consilium, ad quod omnis humana vita pertinet, diligenter explorare. (Cfr. supr. p. 5 sq.) Philosophandi initium

---

20) Et huc et ad universam vulgarem de bonis sententiam significandam pertinent Platonis verba de Legg. II. p. 661 A: *λέγεται (ὑπὸ τῶν πολλῶν) ὡς ἄριστον μὲν ὑγιαίνειν, δεύτερον δὲ κάλλος, τρίτον δὲ ἰσχύς, τέταρτον δὲ πλοῦτος. μυρία δὲ ἄλλα ἀγαθὰ λέγεται. καὶ γὰρ ὀξὺ ὁρᾷν καὶ ἀκούειν καὶ πάντα, ὅσα ἔχεται τῶν αἰσθήσεων, εὐαισθήτως ἔχειν· ἔτι δὲ καὶ τὸ ποιεῖν τυραννοῦντα ὅ τι ἂν ἐπιθυμῇ* (haec sententia minus est antiquissimorum Graecorum, quam Platonicae aetatis). *καὶ τὸ δὴ τέλος ἁπάσης μακαριότητος εἶναι, τὰ πάντα ταῦτα κεκτημένον ἀθάνατον εἶναι γενόμενον ὅτι τάχιστα.*

21) De Legg. IV. p. 721 B: *οὗ* (sc. *τοῦ μεταλαμβάνειν ἀθανασίας*) *πέφυκεν ἐπιθυμίαν ἴσχειν πᾶς πᾶσαν· τὸ γὰρ γενέσθαι κλεινὸν καὶ μὴ ἀνώνυμον κεῖσθαι τετελευτηκότα τοῦ τοιούτου ἐστὶν ἐπιθυμία.*

22) Iamblichus in vit. Pythag. de effatis Pythagorae in secta traditis loquens, quae non definiant, quid sit **bonum**, quid justum et similia, sed quid **optimum**, quid justissimum (quod dicatur esse *τὸ θύειν*), bene addit haec de septem sapientibus (§. 83.): *καὶ γὰρ ἐκεῖνοι ἐζήτουν οὐ τί ἐστι τἀγαθόν, ἀλλὰ τί μάλιστα.* Quae in omnes gnomicos quadrant.

non ab hominum vita neque ab ullis singulis rebus fieri potest, sed ab universis est petendum.

Itaque philosophiam Graecorum, apud quos omnes artes ac disciplinae ratione naturae suae prorsus accommodata provenerunt, inde videmus exordientem, quod immensam rerum varietatem ad unum omnium et principium et finem student revocare. Licet enim Aristoteles causam finalem accurate separet a materiali, Ionicosque physicos hanc solam percepisse censeat, tamen proprie talem separationem apud eos locum habere, non est concedendum. Nullas quidem praeter res sub sensus cadentes agnoverunt, sed has quum mente comprehendere conabantur unamque substantiam omni mutationi subjectam quaerebant, non solum ex ea oriri omnia docuerunt, verum etiam in eam redire. Studuerunt totius rerum naturae consilium intelligere, revera perceperunt nihil nisi principium materiale, ex quo omnia fiant; itaque ut verum mundi consilium et finem indagaverint, plurimum abest, quum neque de motu neque de formis rerum, quid habeant causae vel consilii, quaestiones instituebant.

Primus corpoream materiam reliquit rerumque causas in alio quodam ab illa diverso principio inesse putavit Pythagoras. Qui quum ad formas rerum cognoscendas, quibus earum notiones continentur, quasque ad numeros revocavit[23]), se applicavit, primum rerum universitatis formam et pulchrum mundi ordinem intellexit[24]), atque omnia docuit harmonia quadam conjungi, quae per totum coelum et omnium rerum naturam regnet earumque rationem et consilium contineat. Lege ac ratione, qua omnia gubernentur, sic constituta, etiam de vitae humanae consilio summoque hominibus, quod sequan-

---

23) Cf. Arist. Met. A. 5 p. 987 A 20. — Numeri sunt rerum formae (τὰ τοῦ σώματος πέρατα). Voluit autem Pythagoras formas sive notiones rerum esse ipsas res. Sunt sane illae magis quam materia, sed non sunt sine materia. Vid. inpr. Arist. Met. B. 5 Z. 2.

24) Ordinis vis subjecta est voci κόσμος, qua is primus mundum appellasse fertur. Diogen. Laërt. VIII. §. 48. Stob. Eclog. Phys. p. 450 al. Cf. Plat. Tim. p. 40 A.

Digitized by Google

tur, proposito praecepta dari potuerunt. De quo, quod ex paucis iis, quae de antiquissima doctrina Pythagorea cum aliqua fide tradita sunt, colligi potest, Pythagoras sic praecepit, ad harmoniam illam omnia referenda esse, vitamque beatissimam et maxime homine dignam eos agere, qui ceteris omnibus pro nihilo habitis sola in rerum naturae illiusque divini concentus contemplatione studia ponerent[25]). Quem iis, qui eum intuerentur, in vita et privata et publica imitandam, et cui similem harmoniam in domus ac civitates inserendam esse, etsi placuisse videtur Pythagoreis[26]), tamen antiquiores certe virtute, quippe in rebus mutationi obnoxiis versante, contemplationem et sapientiam ad res immutabiles pertinentem potiorem habuerunt[27]). Vitam perfecte beatam carere posse virtute, non dubitandum quidem est, quin negaverint, sed apparet, eos illam et summum bonum praecipue ponere non in actione virtutum, sed in boni vel virtutum vel (haec enim apud eos idem valent) numerorum cognitione[28]). Nam sicut summam, quae rerum universitatem regat, legem in harmonia quadam numeris definita sitam esse opinati sunt, virtutes quoque non aliter definire sciverunt ac symbolice numeris et for-

---

25) Cicer. Tusc. V. 3. Iamblich. vit. Pyth. §. 58.

26) Theon Smyrn. de Arithm. c. I. p. 15: *καὶ οἱ Πυθαγορικοὶ δὲ τὴν μουσικὴν φασιν ἐναντίων συναρμογὴν καὶ τῶν πολλῶν ἕνωσιν καὶ τῶν διχοφρονούντων συμφρόνησιν* — (cf. Boeckh. Philol. p. 61.). *ἐν μουσικῇ φασιν ἡ ὁμόνοια τῶν πραγμάτων, ἐστὶ καὶ ἀριστοκρατία τοῦ παντός· καὶ γὰρ αὕτη ἐν κόσμῳ μὲν ἁρμονία, ἐν πόλει δὲ εὐνομία, ἐν οἴκοις δὲ σωφροσύνη γίνεσθαι πέφυκεν.* Diog. L. VIII. 33.

27) Philolaus ap. Stob. Ecl. Phys. p. 490. (v. Boeckh l. l. p. 95. coll. p. 102 sq.): *καὶ περὶ μὲν τὰ τεταγμένα τῶν μετεώρων γίγνεσθαι τὴν σοφίαν, περὶ δὲ τὰ γενόμενα τῆς ἀταξίας τὴν ἀρετήν, τελείαν μὲν ἐκείνην, ἀτελῆ δὲ ταύτην.*

28) Clemens Alex. Stromat. II. p. 417: *Πυθαγόραν δὲ ὁ Ποντικὸς Ἡρακλείδης ἱστορεῖ τὴν ἐπιστήμην τῆς τελειότητος τῶν ἀρετῶν τῆς ψυχῆς εὐδαιμονίαν εἶναι παραδεδωκέναι.* Theodoret. Serm. XI. p. 165: *Πυθαγόρας τὴν τελεωτάτην τῶν ἀριθμῶν ἐπιστήμην ἔσχατον ὑπελάμβανεν ἀγαθόν.*

Digitized by Google

mulis arithmeticis [29]), tantumque abfuit, ut veram naturam hominis voluntatisque libertatem intelligerent, ut humanas actiones maxime ex divino quodam afflatu pendere censerent [30]).

Itaque quum Pythagorei propter metaphysicae doctrinae, quae iis nulla erat nisi mathematica, tenuitatem nullas arte conclusas et e veris rerum notionibus petitas sententias de vivendi ratione tradere possent, multum debet philosophia moralis **Eleaticis** sapientibus, non quod ipsi hanc attigissent, sed quia a physicis et mathematicis rerum principiis discedentes ad unum, quod sola mente intelligatur, omnia, quae sint, retulerunt. Qua substantia intelligibili, quae in omnibus rebus et cogitationibus vigeat, excogitata, principium inventum est, unde quaestiones de notionibus rerum totaque ratio dialectica oriri potuerunt. Priusquam vero ad eos philosophos, qui hanc artem dialecticam ad id, quod bonum sit homini, enucleandum adhibuerunt, transimus, tres sunt nobis viri memorandi, qui quum aliis in rebus tum in summo bono definiendo sententias a posterioribus accuratius expositas jam quodammodo antecepisse videntur, et, quamvis non cum arte et clara scientia, saepe, sicut in pugilatu inexercitati, rectas et pulchras ferunt plagas [31]).

Cap. III.

Quorum primus est **Heraclitus**, cujus doctrina eo potissimum insignis est, quod intellexit, res sensibus subjectas semper mutari, nec unquam *esse*, sed perpetuo *fieri*, simul autem cognovit, supra hunc rerum fluxum esse quandam necessitatem (*εἱμαρμένην*) [32]), quae omnibus rebus suum modum

---

29) Arist. Eth. Magn. I. 1: *πρῶτος μὲν οὖν ἐνεχείρησε Πυθαγόρας περὶ ἀρετῆς εἰπεῖν· οὐκ ὀρθῶς δέ. τὰς γὰρ ἀρετὰς εἰς τοὺς ἀριθμοὺς ἀνάγων οὐκ οἰκείαν τῶν ἀρετῶν τὴν θεωρίαν ἐποιεῖτο. οὐ γάρ ἐστιν ἡ δικαιοσύνη ἀριθμὸς ἰσάκις ἴσος.* — Cfr. Philolaus ap. Boeckh. p. 141.

30) V. Brandis Gesch. d. griech. röm. Philos. I. p. 494 sqq.

31) Cfr. Arist. Met. A. 4 p. 985 A 15.

32) Diog. L. IX. 7. Vid. Schleiermacher in Museo antiquitatis Berolinensi I. p. 423 sqq.

Digitized by Google

imponat atque e contrariis conjunctis pulcherrimam harmoniam gignat [33]). Cui physicae legi haud scio an ex Heracliti sententia respondeat [34]) rationale illud commune (*κοινὸς λόγος*), cujus si participes fiant homines, mentis usum adipiscantur, quodque lex et norma sit cogitandi [35]). Idem in agendo nos sequi jubet Heraclitus [36]), quocum praecepto congruit, quod non in voluptate positum esse summum bonum dicit, sed in tali moderatione, ex quali nostram voluntatem communi lege rationali suspensam esse velimus [37]). At hanc praeclaram sententiam, qua suprema lex ethica continetur, si physicam rationem consideramus, qua omnia et ipsum illum *κοινὸν λόγον* et *τὸ περιέχον φρενῆρες* tractat, ipsam Heracliteam doctrinam transcendere et ex ingeniosa quadam divinatione fluxisse judicemus oportet. Uberius enim eum de vita humana atque ea ratione, quae inter hanc et omnium rerum finem intercedat, disputasse, e nullis vestigiis colligi potest.

---

33) Aristot. Eth. Nic. VIII. 2. Plutarch. de Is. et Osir. pag. 369. Ap. Schleierm. fragm. 33. 34.

34) Eum harmoniae mundum corporeum regenti aliam meliorem in regione intelligentiae versantem opposuisse, mihi videtur innuere fragm. 36 (Plut. de An. Procr. p. 1026): *ἁρμονίη γὰρ ἀφανὴς φανερῆς κρείττων.*

35) Sext. Empir. adv. Math. VII. 126: *τὸν δὲ λόγον ὑποτίθεται κριτήριον . . . κριτὴν τῆς ἀληθείας . . . οὐ τὸν ὁποιονδήποτε ἀλλὰ τὸν κοινὸν καὶ θεῖον.* ib. §. 129. *τοῦτον δὴ τὸν κοινὸν λόγον καὶ θεῖον καὶ οὗ κατὰ μετοχὴν γινόμεθα λογικοί, κριτήριον ἀληθείας φησὶν ὁ Ἡράκλ. κτλ.*

36) ib. §. 133. fr. 48: *δεῖ ἕπεσθαι τῷ ξυνῷ· — τοῦ λόγου δὲ ἐόντος ξυνοῦ, ζώουσιν οἱ πολλοὶ ὡς ἰδίαν ἔχοντες φρόνησιν.*

37) Theodoretus IV. p. 984. narrat, Heraclitum in constituendo summo bono cum Democrito et Epicuro re concinere, verbis autem discrepare (quae Theodoreti opinio falsa est): *ἀντὶ γὰρ τῆς ἡδονῆς,* inquit, *εὐαρέστησιν τέθεικεν,* quae est interprete Brandisio (Gesch. d. Philos. I. p. 182.) Wohlzufriedenheit, Ergebenheit, Unterwerfung des Einzelwillens unter das allgemeine Gesetz. — Legi alicubi, Heraclitum docuisse, non voluptatem esse summum bonum, sed *μετριότητα.* Sed proh dolor locum non annotavi. Apud Schleierm. enim non invenitur.

Digitized by Google

Tam hac in re quam eo, quod curam rerum publicarum despexit vulgique viam vitavit, similis Heraclito [38]) est Anaxagoras, qui non tantum oratione sed multo magis vita et factis prodidit, summum sibi videri bonum esse scientiam et rerum divinarum contemplationem. Quum enim per satis certa testimonia traditus sit [39]), neglectis et suis et publicis rebus omnibusque humanis, vulgo sic dictis, bonis totum animum ad res divinas et coelestem suam, ut ajebat [40]), patriam convertisse, jam inde conjicere velim, si non aperta docuerit, at saltem sensisse Anaxagoram, extremum bonorum summumque finem homini propositum eo contineri, quod quis suam mentem ad exemplum unius, simplicis, purae, per omnia regnantis, ab omni autem concretione et affectione liberae mentis conformet. Quae quum mens omnes res ex rudi et indigesta mole secernens et ordinans in certas redegerit formas, itaque, quae nunc demum se cognoscendas praebebant, omnes ipsa una cognoscat [41]), mens humana non nisi participatione vel imitatione hujus absolutae mentis eam cognitionem et libertatem nancisci potest, qua tamquam perfecta illam solam gaudere, omnia autem, quae sint, tendere, Anaxagorae videtur fuisse sententia [42]). Haud ineptum igitur est et, licet ab ipso non ita clare expositum sit, tamen cum universa ejus doctrina bene consentiens, quod dixisse traditur [43]), ul-

---

38) De Heraclito vid. Diog. L. IX. 2. 3.

39) Plat. Hipp. Maj. p. 283 A. Arist. Eth. Nic. VI. 7. fin. Diog. II. 6. 7, ubi plura attulit Menagius.

40) Diog. L. II. 7: *πρὸς τὸν εἰπόντα, Οὐδέν σοι μέλει τῆς πατρίδος; Εὐφήμει, ἔφη, ἐμοὶ γὰρ καὶ σφόδρα μέλει τῆς πατρίδος, δείξας τὸν οὐρανόν.*

41) V. Aristot. de Anim. III. 4. §. 3.

42) Cfr. Breier die Philos. des Anaxag. p. 72.

43) Aristoteles nihil certi de hac re affirmat. *ἔοικεν*, inquit (Eth. Nic. X. 9.), *Ἀναξαγόρας οὐ πλούσιον οὐδὲ δυνάστην ὑπολαβεῖν τὸν εὐδαίμονα, εἰπὼν ὅτι οὐκ ἂν θαυμάσειεν εἴ τις ἄτοπος φανείη τοῖς πολλοῖς.* Item Eth. Eudem. I. 4: *ἴσως ᾤετο κτλ.* Clemens vero (Strom. II. p. 416.) magis definite sic loquitur: *Ἀναξαγόραν τὴν θεωρίαν φάναι τοῦ βίου τέλος εἶναι καὶ τὴν ἀπὸ ταύτης ἐλευ-*

Digitized by Google

timum bonorum vitae esse rerum contemplationem eaque nitentem libertatem, neque ullius pretii esse vitam nisi ad intuendum coelum universique mundi ordinem [44]).

Tertium his adjungimus Democritum, cujus non modo vivendi ratio verum etiam doctrina ab Heracliti et Anaxagorae vitis praeceptisque non ita est aliena [45]). Differunt quidem maxime, quod, neglecta et necessitate, qua secundum Heraclitum omnia tenentur, et libera mente de sententia Anaxagorae rerum universitatem gubernante, ille fortuito quodam concursu omnia nata esse et moveri putavit. Sed ne ceteras similitudines, velut corpusculorum individuorum et homoeomeriae, commemorem, hac in re potissimum ejus doctrina ex Anaxagora nexa esse videtur, quod et ipse Democritus de mente, quae casu superior supra omnem mutationem versaretur neque ulli affectioni obnoxia esset, cogitavit. Nec tamen eam, sicut Anaxagoras, in numine quodam divino omnique rerum natura invenit, sed solo in homine et vita humana locum habere voluit [46]). Itaque disertis verbis docuit, quod ex Anaxagorae doctrina proxime consequitur idemque jam innuisse videtur, perfectam illam libertatem et constantiam, qua diximus Anaxagoream mentem divinam gaudere, humanae menti maxime esse appetendam, non vero ut similiter res cognoscere posset, sed ut cum tranquillitate viveretur. Tranquillitatem enim animi terrore et omni perturbatione liberi dixit summum bonum [47]). Quae quum inprimis pura animi delectatione ni-

---

θεωρίαν, λέγουσιν. Quae narratio licet sola illius utriusque loci auctoritate nitatur, Anaxagorae propriam sententiam transcendere mihi non videtur, neque id Brandisio concedo (Gesch. d. Philos. I. p. 268).

44) Arist. Eth. Eudem. I. 5. p. 1216 A 10.

45) Democriti et Anaxagorae doctrinae saepe ab Aristotele junguntur, velut Phys. III. 4. p. 203 A 20. Met. Γ, 5 p. 1009 A 26 al. De vitarum similitudine cfr. Cicer. Tusc. V. 39. de Fin. V. 29. de Or. III. 15. et interprr. ad Horat. Epp. I. 12, 12.

46) Stob. Ecl. Eth. II. p. 344: βαιὰ φρονήσει τύχη μάχεται, τὰ δὲ πλεῖστα ἐν βίῳ ψυχὴ εὐξύνετος ὀξυδερκέειν κατιθύνει.

47) Diog. L. IX. 45: τέλος δὲ εἶναι τὴν εὐθυμίαν, οὐ τὴν αὐτὴν

tatur, ex hac, quam *τέρψιν* vocat, ait judicandum esse, quid sit bonum et utile [48]). Oriri autem illam securitatem, si in voluptate potissimum atque in omni vita modus servetur [49]). Quocirca si quis tranquillam et beatam vitam sibi comparare velit, eum jubet coercere corporis cupiditates, — ad voluptates diligentem adhibere delectum [50]), — cogitare, ea quorum corpus indigeat, non multa esse, ita ut facile omnibus obveniant sine labore et aerumna [51]), — nec privatim agere multa nec publice supra virium modum [52]), — rebus praesentibus contentum esse [53]), — sapientiae studere, ut superstitiosi ter-

---

οὖσαν τῇ ἡδονῇ, ὡς ἔνιοι παρακούσαντες ἐξεδέξαντο, ἀλλὰ καθ' ἣν γαληνῶς καὶ εὐσταθῶς ἡ ψυχὴ διάγει, ὑπὸ μηδενὸς ταραττομένη φόβου, ἢ δεισιδαιμονίας, ἢ ἄλλου τινὸς πάθους. καλεῖ δ' αὐτὴν καὶ εὐεστὼ καὶ πολλοῖς ἄλλοις ὀνόμασι — scil. *ἁρμονίαν, ξυμμετρίαν, ἀταραξίαν* (Stob. Ecl. Eth. II. p. 76.) *ἀθαμβίαν* (Cic. de Fin. V. 29.), *ἀθαυμαστίαν* (Strab. I. 5.).

48) Stob. Floril. III. 35: *οὖρος συμφορέων καὶ ἀσυμφορέων τέρψις καὶ ἀτερπίη.*

49) ib. I. 4: *ἀνθρώποισι εὐθυμίη γίνεται μετριότητι τέρψιος καὶ βίου ξυμμετρίῃ κτλ.*

50) *Σωφροσύνην* commendat ap. Stob. Flor. V. 38. 49. — Voluptates non e rebus mortalibus esse quaerendas, dicit ib. 24; corporis voluptates brevissimas esse ib. XVIII. 36. — Cfr. Ecl. Eth. II. p. 76: *συνίστασθαι δ' αὐτὴν (τὴν εὐθυμίαν) ἐκ τοῦ διορισμοῦ καὶ τῆς διακρίσεως τῶν ἡδονῶν.*

51) Stob. Flor. X. 66: *ὧν τὸ σκῆνος χρήζει, πᾶσι πάρεστι εὐμαρέως ἄτερ μόχθου καὶ ταλαιπωρίης· ὁκόσα δὲ μόχθου καὶ ταλαιπωρίης χρήζει καὶ βίον ἀλγύνει, τούτων οὐκ ἱμείρεται τὸ σκῆνος, ἀλλ' ἡ τῆς γνώμης κακοφυΐη* (ex em. Mullachii in Quaestt. Democritt. specim. II. Berol. 1842. 4. p. 21.) Ad hanc sententiam conferatur Xenoph. Mem. Socr. I. 3, 3. Atque in universum comparatio Democritearum sententiarum cum Socraticorum placitis docet, non solum Cyrenaicorum et Epicureorum, sed etiam Cynicorum et Stoicorum placitorum initia in illis haerere.

52) Stob. Flor. CIII. 25: *τὸν εὐθυμεῖσθαι μέλλοντα χρὴ μὴ πολλὰ πράσσειν μήτε ἰδίῃ μήτε ξυνῇ, μηδὲ ἅσσ' ἂν πράσσῃ, ὑπέρ τε δύναμιν αἱρέεσθαι τὴν ἑωυτοῦ καὶ φύσιν.*

53) Stob. Flor. I. 4. IV. 78. X. 69. al. Vid. Burchard Fragmente der Moral des Democrit. Mind. 1834. 4.

Digitized by Google

rores et animi perturbationes vitentur [54]), — honeste denique justeque agendo bonam sui conscientiam sibi acquirere [55]). Quum igitur nihil non ad animi tranquillitatem vitamque aequabiliter degendam referat, omnia haec bona et saepe Socrate digna praecepta non vero nituntur fundamento. Si enim ea ad vivum resecamus, perspicuum est, illum docuisse, virtutem rerumque cognitionem non propter se esse homini expetendas, sed ut ipse commodis frueretur et bono esset animo. Quum autem homo, quatenus animi aequabilitatem affectet, totus in se esse studeat et ad se solum omnia referens nec suorum nec patriae salutem curet (nisi quantum suam salutem requirere opinetur), hanc Democriti doctrinam si omnes homines sequerentur, omnis liberorum parentumque et patriae caritas, omnis vitae societas sublata esset, totaque generis humani conjunctio, sibi soli unoquoque vivente, in individuas partes discissa nonnisi propter externam utilitatem inter se cohaerentes. Quod qui reputaverit, non negabit, opinor, altam quandam conspirationem esse Democriteae ethicae et physicae doctrinae. Sicut enim omnes res naturales ex individuis quibusdam corpusculis non natura sed fortuito concursu essent conflatae, similiter etiam esse nullam a natura constitutam vitae humanae conjunctionem, sed singulis humanis individuis sua gratia vivendum et agendum esse, videtur statuisse. Atque hoc quidem principium et fontem placitorum Democriti respiciens non dubito contendere, eum ab aequalibus sophistis proprie non dissidere. Verumtamen ille longe ab his discedit et vivendi ratione morumque conditione et multis dictis, in quibus virtutis sensu ductus sibi ipse minus consentire et a principio illo, cujus ipse sibi non clare conscius fuit, desci-

---

54) Clem. Alex. Paed. I. p. 81: *σοφίη ψυχὴν παθῶν ἀφαιρέεται.* Stob. Flor. III. 34: *σοφίη ἄθαμβος ἀξίη πάντων, τιμιωτάτη οὖσα.* Cfr. Cic. de Fin. V. 29.

55) Stob. Flor. VII. 32: *δίκης κῦδος γνώμης θάῤῥος καὶ ἀθαμβίη.* Ecl. Eth. II. p. 408: *ὁ μὲν εὔθυμος εἰς ἔργα ἐπιφερόμενος δίκαια καὶ νόμιμα, καὶ ὕπαρ καὶ ὄναρ χαίρει τε καὶ ἔῤῥωσται καὶ ἀνακηδής ἐστιν κτλ.* vid. Burchard l. l. p. 37.

Digitized by Google

scens majorem honestatis vim agnoscere videtur. Itaque quum revera ad sophistarum ab omni verecundia deorum et pudore liberum ingenium nondum delapsus vel dicam evectus sit, non ipsum esse sophistam, sed repraesentare quasi ipsum ingenium humanum ad horum sententias transiens, arbitror [56]).

Cap. IV.

Quum omnis philosophia id sibi habeat propositum, ut omnium, quae sint, principium et finem cognoscat, apparet, hos jam a nobis perlustratos philosophos (excepto Democrito, cujus ethica doctrina jam magis pertinet ad sophisticam aetatem) maxime hanc ob causam a vero aberrasse, quod omnia studia in rerum naturalium consideratione ponentes, ubi res, quae sensibus percipi nequeunt et in mente sola suam quasi sedem habent, non prorsus negligerent, ita de iis cogitarent, ut inde aspectabilium rerum causas et rationes peterent [57]). Praesertim leges, quas cogitandi et vivendi ratio sequi debeat, vix ac ne vix quidem coeperunt explorare. Toti enim defixi in contemplatione coeli rerumque naturae explicatione neglexerunt mentis humanae vim et naturam, atque in vita quum maxima esset auctoritas religionis et morum, in conditionem, qua natus esset homo, et legem, secundum quam ejus vita moderanda esset, parum diligenter inquisiverunt.

Iam vero hac aetate, qua Democritus vixit, vetus illa fides, qua obstricti homines deos patriaeque leges et communes mores observabant, apud Graecos valde coepta est infringi. Ad se enim tum redibat mens humana ac de sua vi et libertate cogitans tam in vitae societate quam in litteris nullo vo-

56) Ab Henrico Ritter, qui Democritum parum a sophistis secrevit et animi vani, humilis, honesta simulantis incusavit (vid. Gesch. d. Philos. I. ed. alt. p. 597 sq. 625.), peculiaris ejus ratio vivendi et sentiendi est defendenda et jam defensa a Brandisio in Mus. Rhenan. III. p. 133 sqq., Burchardo l. l. p. 10 sqq., Marbachio, aliis.

57) Cfr. quae Aristot. de Pythagoreis dicit Met. A, 8 p. 989 B 29 — 990 A 8.

Digitized by Google

lebat uti auctore nisi sua cogitatione, neque quidquam pro vero aut bono habere, quod hac non ante comprehenderit. Universa haec ratio sentiendi, ad quam gignendam haud exigui momenti fuisse videtur et atomicorum physica ethicaque doctrina et Eleaticorum posteriorum ars eristica, clarissime et maxime definite verbis expressa est a sophistis [58]), re et factis potissimum cernitur in Atticae reipublicae forma ita depravata, ut jam populi potestas ad furorem multitudinis licentiamque conversa sit, neque quisquam se pro nihilo nisi parte et quasi membro totius corporis civilis haberet, sed omnes fere sibi solis se natos esse putarent, rebusque publicis esse utendum ad suas libidines explendas. Omnia ad suum quisque arbitrium movere studebat, et maxime tunc temporis invaluerat opinio, beatissimum esse, si quis unus omnia posset nullisque finibus circumscripta tyrannide uteretur [59]). Itaque amor libertatis, cui quum Graeci dediti essent, hucusque boni mores justum modum constituerant, in studium licentiae erat conversus, quo ductus tamquam finem bonorum quisque appetebat, ut facere posset quidquid liberet (ὅ τι ἂν ἐπιθυμῇ — vid. not. 20.). Boni et justi rationes non amplius credebant per se ipsas constare [60]) et natura esse constitutas, sed a po-

---

58) Accipiendum est, quod Plato de Rep. VI. p. 493 A dicit, sophistas nihil docere nisi τὰ τῶν πολλῶν δόγματα. Inter omnia, quae in libris recentioribus de sophistarum in historia generis humani momento legi, optima ac verissima esse mihi videntur, quae de iis Hegelius (Gesch. d. Philos. vol. II. init.) et C. F. Hermannus (Gesch. u. System d. Platon. Philos. I. p. 179 — 231) disseruerunt.

59) Xenoph. Mem. III. 6, 2. Plat. Gorg. p. 469 C. de Rep. I. p. 344 A. IX., ubi haec opinio studiose impugnata est. Aristot. quoque in Eth. Nic. X. 9. significat, de vulgi sententia solum πλούσιον aut δυνάστην τὸν εὐδαίμονα esse. Vid. praeterea Hermann Lehrb. der Griech. Staatsalterth. §. 72.

60) Nihil esse per se bonum, sed alia aliis bona esse Protagoras magno cum applausu auscultantis multitudinis docet apud Platonem (Protag. p. 334 A — C). Relativa illa notio boni, principio per se constanti, ad quod referatur, sic neglecto, perniciosissimam peperit doctrinam. Vid. supr. p. 4 sq.

Digitized by Google

tentioribus quippe sibi utilia lege in hominum sensum et consuetudinem inductas [61]). Itaque quisquis hoc opinabatur, id summe appetebat, ut se quam potentissimum redderet, et quum, quale quidque videretur, tale esse [62]), nec rem ipsam ullam sententiam magis tueri quam contrariam, censeretur, ars, qua quis de qualibet re sibi utilissimam sententiam pronuntiare aliisque persuadere posset, plurimi aestimabatur. Quo factum est, ut inprimis adolescentes studiose captarent sophistarum disciplinam, qui hanc artem dicendi et persuadendi, quae praecipue in vi animos aliorum ad suum arbitrium movendi constaret, vel virtutem docere se posse profitebantur [63]).

Sophisticae doctrinae, quam qui sequebatur ad se suumque peculiare commodum omnia referebat, gravis adversarius extitit **Socrates**, qui effecit, ut id ipsum, quod omnem philosophiam ad finem adduxerat funditusque everterat, initium fieret novae philosophandi rationis. Quum enim sophistae negabant, ullam esse veritatem nisi in cujuslibet hominis cogitatione et sensu positam, revera quidem omnem veritatem ejusque studium sustulerunt, tamen eo optime de philosophia meriti sunt, quod menti humanae jus suum et potestatem vindicarunt, de omnibus rebus, quae pro veris aut bonis ducen-

---

61) Plat. de Rep. I. p. 338 C. de Legg. IV. p. 714 D. Gorg. p. 482 E sqq.

62) Plat. Theaet. p. 158 A. 161 C. Arist. Met. Γ, 5 init.

63) Hippocrates in Plat. Protag. (p. 312 D) interrogatus, quid sit sophistes, dicit esse eum *ἐπιστάτην τοῦ ποιῆσαι δεινὸν λέγειν*. Hic solus sapiens appellabatur, qui posset, si cui quid malum esse videretur, hanc sententiam ita mutare, ut idem ei bonum videretur et ita bonum esset (Plat. Theaet. p. 166 E). Quam artem ajebant omnium esse optimam et pulcherrimam. V. Plat. Phileb. p. 58 A. Gorg. p. 448 C. 452 D, quo loco gloriatur Gorgias, *τῇ ἀληθείᾳ μέγιστον ἀγαθὸν καὶ αἴτιον ἅμα μὲν ἐλευθερίας αὐτοῖς τοῖς ἀνθρώποις, ἅμα δὲ τοῦ ἄλλων ἄρχειν ἐν τῇ αὑτοῦ πόλει ἑκάστῳ* esse *τὸ πείθειν οἷόν τ' εἶναι τοῖς λόγοις*. Ex ejusdem sententia in Menone (p. 73 D) virtus definitur esse *ἄρχειν οἷόν τ' εἶναι τῶν ἀνθρώπων*, vel (p. 78 C) *δύναμις τοῦ πορίζεσθαι τὰ ἀγαθά*, scilicet valetudinem, opes, honores.

Digitized by Google

dae essent, cogitandi et ad suum liberum usum omnia referendi[64]). At ipsi de his, praesertim de rebus expetendis fugiendisve cogitantes toto coelo a vero aberraverunt, quum bona nulla esse opinarentur, nisi quae ad singulorum voluntatibus vel cupiditatibus satisfaciendum conducerent. Contra Socrates, et ipse censens hominis gratia omnia creata et constituta esse[65]), eumque esse mensuram omnium rerum, non vero quemlibet hominem sed sapientem, vera intelligentia imbutum[66]), hanc judicem esse voluit de eo, quid sit bonum, rectum, pulchrum. Esse enim sibi persuasum habuit, quod cuique homini ad suae omniumque rerum naturae consilium sequendum conducat, quod omnibus semper et ubique h. e. per se bonum sit. Cujus sensum quum in omnium hominum animis latere arbitraretur, in quoque colloquente quaestionibus ex singularum rerum observatione petitis excitare et ad notiones generales[67]) redigere studebat, quae rationem vivendi et agendi regerent. Unice enim eo enitendum homini esse praecepit, ut communis illius, quod vere bonum sit, quam cla-

---

64) Hanc humanae mentis libertatem Plato quoque defendit, cui philosophia videbatur (Phaedon. p. 83 A), *αὐτὴν (τὴν ψυχὴν) εἰς αὐτὴν ξυλλέγεσθαι καὶ ἀθροίζεσθαι, παρακελευομένη, πιστεύειν δὲ μηδενὶ ἄλλῳ ἀλλ' ἢ αὐτὴν αὑτῇ, ὅτι ἂν νοήσῃ αὐτὴ καθ' αὑτὴν αὐτὸ καθ' αὑτὸ τῶν ὄντων*, — sed idem, quae vera esset libertas, aperuit. Cf. Criton p. 46 B, ubi Socrates, *ἐγὼ οὐ μόνον νῦν*, inquit, *ἀλλὰ καὶ ἀεὶ τοιοῦτος, οἷος τῶν ἐμῶν μηδενὶ ἄλλῳ πείθεσθαι ἢ τῷ λόγῳ, ὃς ἄν μοι λογιζομένῳ βέλτιστος φαίνηται.*

65) Xenoph. Mem. IV. 3.

66) Elocutus hoc est in colloquio, quod cum Theaeteto habuisse eum finxit quidem Plato (p. 179 B), sed non modo optime illius viam ac rationem disputandi describere, verum etiam intimam Socraticae doctrinae sententiam, quam eandem Platonica philosophia magis explicatam tenet, his verbis exprimere mihi videtur. Quum igitur sophistae dicebant, *τὰ φαινόμενα ἑκάστῳ ταῦτα καὶ εἶναι* (vid. not. 62 et Arist. Met. K, 6 init.), Socrates jam id sensit, quo Aristotelis morum doctrinam niti videmus, bona et justa esse *τὰ φαινόμενα τῷ σπουδαίῳ* sive *τῷ φρονίμῳ*. V. Eth. Nic. II. 6. III. 6. IX. 4. X. 5. 6.

67) Xen. Mem. I. 1, 16. IV. 6, 1. Arist. Met. A, 6. M, 4.

Digitized by Google

rissimam scientiam adipiscatur et secundum hanc omnia agat. Si igitur quaeritur, quid Socratis animo tamquam summum bonum humanum obversatum sit, non dubito dicere, **justam agendi rationem vera scientia nitentem, nec omni carentem voluptate.** Nam quum sicut ceteri Graeci et ipse Socrates finem bonorum non a perfecta beatitudine diversum esse censeret [68]), non potuisset non iis rebus, quibus maxime niti voluit vitam beatam, voluptatem quoque aliquam ex sensu et conscientia perfectionis redundantem adjungere, si sententiam suam subtilius explicavisset [69]). Quod autem passim traditur pro summo vel unico bono habuisse scientiam [70]), ita est accipiendum, ut putaverit, scientiam esse supremum bonum ac, si cum ceteris bonis comparetur, optimum et ad assequendam perfectionem humanam gravissimi momenti [71]). Accedit

---

68) Concedit ap. Xen. (Mem. IV. 2, 34.) beatitudinem esse pro bono minime dubio habendam, dummodo ea ne ex bonis dubiis, velut pulchritudine, robore, divitiis, gloria constare existimetur.

69) *Ταῦτα ἄλλου μὲν λέγοντος, συνέφησεν ἂν ἐξ ἀνάγκης, σαφῶς δὲ οὐκ εἴρηκεν*, ut Aristotelis verbis (Met. A, fin.) utar. Qui subtilius totam beatitudinis notionem *διήρθρωκεν*, Plato demum de voluptate illa purissima clare loquitur. Sed ipsum Socratem, ne sensuum quidem quandam voluptatem ab homine bono alienam esse, censuisse, inde patet, quod quum aliis in rebus amorem deorum erga homines cerni putat, tum in eo, quod iis res non solum ad vitam sustentandam sed etiam ad voluptatem parandam sufficientes porrigant (Xen. Mem. IV. 3, 5). Socrati vero, qualem Xenophon effinxerit, tametsi non parcat praeceptis moralibus, semper summum finem videri voluptatem, qua omnia metiatur, ut ait **Brandisius** in Mus. Rhenan. I. p. 123 sq., minime concedo, laudans C. F. **Hermannum**, qui in historia Platonicae philos. et Xenophonti fidem historicam et Socrati Xenophonteo praestantiam doctrinae moralis bene vindicasse mihi videtur.

70) Xen. Mem. IV. 5, 6. Diog. L. II. 31: *ἓν μόνον ἀγαθὸν εἶναι, τὴν ἐπιστήμην.*

71) Socr. ap. Xenoph. l. l. eodem fere sensu *σοφίαν τὸ μέγιστον ἀγαθὸν* appellare videtur, quo tum multi **amicum** esse dicebant *μέγιστον ἀγαθὸν* vel *πάντων κτημάτων κράτιστον* (ib. II. 4. init.) vel *παμφορώτατον κτῆμα* (ib. sub fin.). Alio loco (ib. IV. 5, 8.) Socrati *ἄριστον ἀνθρώπῳ* esse videtur *ἡ ἐγκράτεια.*

Digitized by Google

quod Socrates, virtutes ipsas esse scientias censens, inter scientiam boni ejusque actionem nullum omnino statuit discrimen [72]), ita ut neque scientiam per se, nec virtutem, si esse posset sine scientia, sed utriusque conjunctionem summum bonum esse judicaret, omnem vero scientiam a virtute separatam omnesque disciplinas, quae ad bene beateque vivendum non pergere ei videbantur, pro nihilo haberet [73]).

Hac ipsa autem in definitione scientiae situm est Socraticae doctrinae vitium. Nam quum id, quod absolute bonum omnibusque rebus tamquam finis propositum sit, cognoscere non liceat neglecta omnium rerum et physicarum et metaphysicarum accurata contemplatione, scientia, quam Socrates commendavit, nihil aliud est nisi prudentia quaedam, quae in singulis conditionibus quid cui bonum vel utile sit intelligat [74]). Ad accuratam et explicitam scientiam ejus, quod omnibus hominibus et per se sit bonum, pervenire ille non potuit, et quamvis non injuria a Delphico oraculo sapientissimus omnium Graecorum dictus sit, tamen quod affirmat, se nihil scire, non pro ironice aut modeste dicto, sed pro vero est accipiendum. Cognovit, ad hominis vitam idque, quod bonum sit, intelligendum se applicare debere omnem philosophiam, eamque sapientiam, qua suae aetatis philosophi gloriabantur, veram non esse:

---

72) Xen. Mem. III. 9, 4. 5. Arist. Eth. Nic. VI. 13. VII. 3. Eth. Eudem. I. 5: *Σωκράτης μὲν οὖν ὁ πρεσβύτης* (i. e. antiquus ille, qui revera vixit, non is Socrates, quem recentiores, velut Plato, Antisthenes, in dialogis effinxerunt; — alii aliud significari putant, velut Brandisius in Mus. Rhenan. I. p. 127. senem Socratem) *ᾤετ' εἶναι τέλος τὸ γιγνώσκειν τὴν ἀρετήν* — — —. *ἐπιστήμας γὰρ ᾤετ' εἶναι πάσας τὰς ἀρετάς, ὥσθ' ἅμα συμβαίνειν εἰδέναι τε τὴν δικαιοσύνην καὶ εἶναι δίκαιον.* Eth. Magn. I. 1. II. 6 init.

73) Xen. Mem. I. 1, 11. IV. 7. — Ib. III. 9, 14 dicit Socr., *κράτιστον ἀνδρὶ ἐπιτήδευμα εἶναι εὐπραξίαν*, quae sit *τὸ μαθόντα τι καὶ μελετήσαντα εὖ ποιεῖν.* — ib. 15: *τὸν δὲ μηδὲν εὐπράττοντα, οὔτε χρήσιμον οὐδὲν ἔφη εἶναι οὔτε θεοφιλῆ.*

74) Quam prudentiam Aristoteles *φρόνησιν* appellat, et diligenter describit Eth. Nic. VI. 13. Cfr. Xen. Mem. IV. 7, 8: *μεχρὶ δὲ τοῦ ὠφελίμου πάντα καὶ αὐτὸς συνεπεσκόπει καὶ συνδιεξῄει τοῖς συνοῦσι.*

Digitized by Google

ipse autem hanc veram scientiam docere nescivit. Quo factum est, ut quid bonum esset quibusque rebus beata vita contineretur, nusquam accurate definiverit [75]. Sed alto animo sensit et quasi divinatus est unam summam legem, qua numen divinum omnia providentia sua amplectens gubernare [76], atque hominibus omnia studia referenda esse voluit. Hoc boni sensu ductus, quid in singulis quibusque locis faciendum esset, recte monstrare potuit et, quum bonum et utile idem esse censeret, perniciosam doctrinam vitare, quam sophistes aliquis, non veram utilitatem spectans, ex hac opinione ducere poterat [77]. Eundem sensum boni et honesti, qui saepe ei, ubi non bene aliquid facturo adversatus erat, e divino quodam omine oriri videbatur [78], ducem habuit totius vitae, et licet non in doctrina aliqua principium et fontem bene beateque

---

75) Cf. Xen. Mem. IV. 2, 34. Quam ob causam a diis nihil precari solitus est nisi in universum ut dent sibi id quod bonum sit. Deos enim hoc melius scire. V. ib. I. 3, 2.

76) Xen. Mem. I. 4. IV. 3. Ex his locis apparet, quod jam Diog. L. (II. 45.) animadvertit, et ipsum Socratem de consilio totius mundi vel rebus physicis disseruisse, sed quum omnia ad hominum usum referat, multum abest a vera illa physica ratione, qua unamquamque rem in se quoque sui finem habere cognoscitur.

77) Quod Socrates docuit, omne utile esse bonum (vid. supr. p. 5.), facile poterat in malam partem accipi, si quis, quid vere utile esset, ignorabat. Quo factum est, ut accusator Socratis hanc ei sententiam intruserit, nihil non esse faciendum, quod lucrum ferat. Opponit Xenophon (Mem. I. 2, 56. 57.) Socratem sensisse, nihil esse utile nisi bonum et honestum. Recte quidem; sed saepe in colloquiis videtur sane aliter sentire, velut ubi adversus Euthydemum (Mem. IV. 2, 3) negat, sapientiam semper bonum esse, quia interdum possit sapiens propter sapientiam calamitatem accipere. Verum enimvero nihil ostendere vult, nisi eo sensu, quo Euthydemus bonum accipiat, quasi sit id, ex quo externa vitae conditio capiat utilitatem, sapientiam non semper esse bonum. Solet verba sua ad eorum, quibuscum colloquitur, sententiam accommodare, ut ex hac ipsa ad alias res translata redeat erroris intelligentia. Quae autem vera sit de ea re sententia, plerumque in incerto relinquitur.

78) Hoc δαιμόνιον dicit Socrates ap. Plat. de Rep. VI. p. 496 C nemini fere e superioribus obtigisse.

Digitized by Google

vivendi plane ac subtiliter demonstraverit, tamen in vita et moribus exemplar boni et beati hominis tam plenum et perfectum proposuit, [79]), ut homines diversissimis ingeniis ejus consuetudine uti et agendi sentiendique rationem imitari studerent, qui quamvis maxime inter se dissentientes tamen Socraticos se et dici volebant et esse arbitrabantur. Quum a Socrate, qui ipse suas sententias non ad certam formam et artem redegerat, sed in colloquiis ex qualibet occasione oblata orientibus ad talem conformandam propaedeutica quasi ratione praeparabat et incitabat [80]), notio boni, ex qua omnis pendet philosophia moralis, indefinita relicta esset, fieri non potuit, quin ejus discipuli, quorum jam erat certam quandam disciplinam profiteri, in illa notione definienda pro suo quisque ingenio diversissimas rationes sequerentur [81]).

Cap. V.

Iam igitur accedimus ad eos philosophos, qui quaestionem nostram de summo bono non in transitu neque obiter attigerunt, sed postquam Socrates philosophiam e coelo ad vitae et morum rerumque bonarum et malarum contemplationem devocavit, in his studiis ita sunt versati, ut differentiae, quae inter singulos philosophos Socraticos intercedunt, solis in diversis sententiis de summo humano bono defensis positae sint.

---

79) Xen. Mem. IV. s. fin. ἐδόκει τοιοῦτος εἶναι, οἷος ἂν εἴη ἄριστός γε ἀνὴρ καὶ εὐδαιμονέστατος. Cf. Plat. Phaedo extr. — Socrates ipse dicit, se magis factis quam dictis docere, quae sentiat (Xen. Mem. IV. 4, 10: ἃ δοκεῖ μοι δίκαια εἶναι — — εἰ μὴ λόγῳ, ἀλλ' ἔργῳ ἀποδείκνυμαι), et laudem sapientiae quidem tantum in conscientia ignorantiae suae positam esse arbitrans virtutem tamen sibi vindicat — ib. IV. 8, 6. Plat. Apol. p. 33 A. Xenoph. Apol. 5.

80) Ipse se negat in Apolog. Platonica (p. 33) ullius unquam magistrum fuisse. Xen. Mem. I. 2, 3: οὐδὲ πώποτε ὑπέσχετο διδάσκαλος εἶναι τούτου (τοῦ καλὸν καὶ ἀγαθὸν εἶναι)· ἀλλὰ τῷ φανερὸς εἶναι τοιοῦτος ὢν ἐλπίζειν ἐποίει τοὺς συνδιατρίβοντας ἑαυτῷ, μιμουμένους ἐκεῖνον, τοιούσδε γενήσεσθαι.

81) Cf. Plat. de Rep. VI. p. 505 D: ὅτι μεγάλαι καὶ πολλαὶ ἀμφισβητήσεις περὶ αὐτοῦ (de eo sc., quid sit bonum), φανερόν.

Digitized by Google

Tria sunt, quae Socrates non exposite quidem et aperte docuit verumtamen sensit in summo bono ita conjuncta esse, ut nullo ex his optimus vitae status posset carere: sapientia, virtus, voluptas. Quum vero, quomodo haec inter se connexa essent, nec satis clare cognitum haberet nec unquam disertis verbis pronuntiaret, sed in variis suis disputationibus modo hoc modo illud majori cum laude attingeret, factum est, ut discipuli pro sua quisque natura et indole alius aliud apprehenderent, et quum tuerentur partem, totam magistri sententiam assequi sibi viderentur. Maxime quidem ab hac aliena esse videtur doctrina Aristippi in voluptate summum bonum ponentis, quia hujus unius ex illis tribus rebus minimum respectum habuit Socrates, ejusque sanctus animus a patrocinio illo voluptatis longissime abhorruit: attamen est, quod Cyrenaicum cum Socrate conjungat causamque praebeat, de qua is recte dicatur Socraticus. Tale vinculum, quo quem cum familia aliqua philosophorum conjunctum esse putamus, non praebent singula placita, sed eorum fons et principium. Et hoc quidem idem esse videtur in Socrate atque in proximis ab eo ortis disciplinis. Quum enim Socrates cum sophistis id habeat commune, ut ad hominem ejusque mentem et vitam omnia referat, maxime vero differat ab iis eo, quod non ad singulorum hominum fortuitum sensum et commodum, sed ad communem omnium hominum intelligentiam et utilitatem omnia revocanda, nullaque vera et bona esse censeat, nisi quae communi sensui et voluntati respondeant, in hac sententia omnes Socratici cum magistro concinunt et a sophistica doctrina recedunt. Dissident vero inter se in eo definiendo, quod e communi sensu pro vero accipiendum et tamquam bonum appetendum sit. Quod ita factum est, ut singulas tantum humanae naturae quasi partes, quam Socrates universam animo amplexus erat, alius aliam tamquam unam ducem sequerentur.

Quum igitur homo primum sit animal naturale sensibus praeditum et satiandorum suorum naturalium desideriorum appetens, hanc totam esse hominis naturam opinans Aristippus nihil ulli homini aliud verum posse videri judicavit nisi

Digitized by Google

quod a sensu vel tactu interiore probetur [82]), neque quidquam esse bonum nisi quod ad naturalem hominis existentiam tuendam et juvandam pertineat. Itaque quum **voluptatis** appetitum omnibus animantibus natura insitum esse [83]) recte intelligeret, hic gravissimus ei videbatur et dignissimus, cui omnes reliqui appetitus subjicerentur, et voluptas, quae esset jucundus motus in sensu, summum et unice per se expetendum bonum. Ab ipsa quidem veritate quasi coactus non omnino neglexit puram animi voluptatem [84]), et sapientiam quoque et virtutem commendat, sed tamquam utilitatis causa, non propter se, quaerendas, atque haec ejus propria sententia est, praecipue voluptate corporis, quam non in sola vacuitate doloris sed in motu ponebat, omnia esse metienda [86]). Hoc modo communis Socratis et Socraticorum ratio ad hominem omnia referendi, quum homo, quatenus voluptate corporis frui studeat, neque honestatem neque patriam sed se solum curet, in

---

82) Sext. Emp. adv. Math. VII. 191: *κριτήρια εἶναι τὰ πάθη.* Cicer. Acad. II. c. 7 et 24.

83) Diog. L. II. 87: *τὴν (ἡδονὴν εἶναι) εὐδοκητὴν πᾶσι ζώοις.* ib. 88: *ἀπροαιρέτως ἡμᾶς ἐκ παίδων ᾠκειῶσθαι πρὸς αὐτήν.*

84) ib. 89: *οὐ πάσας τὰς ψυχικὰς ἡδονὰς καὶ ἀλγηδόνας ἐπὶ σωματικαῖς ἡδοναῖς καὶ ἀλγηθόσι γίγνεσθαι.* ib. 90: *πολὺ μέντοι τῶν ψυχικῶν τὰς σωματικὰς ἀμείνους εἶναι.* Cf. X. 137.

85) Diog. II. 91: *τὴν φρόνησιν ἀγαθὸν μὲν εἶναι λέγουσιν, οὐ δι' ἑαυτὴν δὲ αἱρετήν, ἀλλὰ διὰ τὰ ἐξ αὐτῆς περιγινόμενα.* ib. 93: *ὁ σπουδαῖος οὐδὲν ἄτοπον πράξει διὰ τὰς ἐπικειμένας ζημίας.* Cic. de Offic. III. 33.

86) Vid. Diog. II. 86—93. Finem esse dicunt Cyrenaici voluptatem corporis, quae in singulis temporis momentis ex praesenti quaque re oriatur, beatitudinem vero, quae ex singularum voluptatis perceptionum conjunctione constet, non per se sed propter has esse expetendam. A Democrito, quocum proxime cognatus est Aristippus, eo differt, quod non sola tranquillitate animi et depulsione doloris contentus voluptatem quaerit in motu et adeptione jucundi positam. ib. 85: *τέλος δ' ἀπέφαινε τὴν λείαν κίνησιν εἰς αἴσθησιν ἀναδιδομένην.* Cf. §. 86: *τὴν μὲν λείαν κίνησιν (εἶναι) ἡδονήν.* V. etiam §. 89 et Sext. adv. Math. VII. 201.

Digitized by Google

Aristippo ad sophisticum illud sui studium fere relabitur [87]), quo quisquis tenetur res ad suam peculiarem libidinem explendam sibi subjungere studet ita semper, ut habeat, nunquam habeatur [88]).

Contra Antisthenes cum Cynicis illum, quem Cyrenaici appetebant, rerum dominatum pro servitute, voluptatem pro malo duxit [89]), et continentiam temperantiamque Socratis imitaturus ejusque dictum sequens, quam paucissimis egentem proximum esse a diis [90]), liberrimum et felicissimum vitae statum censuit consistere in quam maxima libertate ab necessitate naturae et in virtute se ipsa contenta [91]). Hic igitur

---

87) Sibi soli paret Socraticus, quocirca Aristippus dicit (Diog. II. 68), philosophos, etiamsi leges omnes interierint, eodem modo victuros esse. Se non patriae, sed sibi soli vivere velle, idque ᾗ ῥᾷστα τε καὶ ἥδιστα, profitetur ap. Xenoph. (Mem. II. 1, 8 sqq.). Diog. II. 93: μηδὲν εἶναι φύσει δίκαιον ἢ καλὸν ἢ αἰσχρόν, ἀλλὰ νόμῳ καὶ ἔθει. Patet, quam prope his dictis ad sophistarum doctrinam accedat, quorum numero ipsum ascribit Aristot. Met. B. 2. At non negligendum est, eum a Socrate et alio principio profectum esse.

88) Horat. Epp. I. 1, 19. Cicer. Epp. IX. 26.

89) Euseb. Praep. Evang. XV. 13: Ἀντισθένης Ἡρακλεωτικός τις ἀνὴρ τὸ φρόνημα, ὅς ἔφη τοῦ ἥδεσθαι τὸ μαίνεσθαι κρεῖττον εἶναι· διὸ καὶ παρῄνει τοῖς γνωρίμοις μηδέποτε χάριν ἡδονῆς δάκτυλον ἐκτεῖναι. [Osannus in annall. critt. Berolin. Oct. 1842 p. 613 aptam vocabuli Ἡρακλεωτικὸς interpretationem desiderans scribi vult Ἡράκλειος. Haud inepte. At nonne potest fortasse nomen illud ab herba ea acerba et austera, quae prima origani species est et ἡρακλεωτικὸν appellabatur (vid. Schneideri lexic. s. v. ὀρίγανον), per similem translationem ductum esse, ac quacum quis dicitur in Aristoph. Ran. v. 604. ὀρίγανον βλέπειν, ut significetur Antisthenes acerbo fuisse animo?] Diog. VI. 3: ἔλεγε συνεχές, Μανείην μᾶλλον ἢ ἡσθείην. ib. IX. 101: τὸ αὐτὸ ὑφ' οὗ μὲν δοξάζεται ἀγαθὸν ὡς ἡ ἡδονὴ ὑπὸ Ἐπικούρου· ὑφ' οὗ δὲ κακὸν ὡς ὑπὸ Ἀντισθένους. Quibuscum sententiis illud ap. Athenaeum XII. p. 513 A: Ἀντισθ. δὲ τὴν ἡδονὴν ἀγαθὸν εἶναι φάσκων προσέθηκε τὴν ἀμεταμέλητον — non pugnat, si omnem voluptatem sequi languorem et poenitentiam opinatus est.

90) Xen. Mem. IV. 5. I. 6, 10. cf. Diog. VI. 105.

91) Xen. Sympos. 4, 34—44. Diog. VI, 11: αὐτάρκη τὴν ἀρετὴν εἶναι

Digitized by Google

in **virtutis usu** posuit summum bonum, sed abstractae cujusdam, ut videtur, quae non esset singularum e natura et moribus pendentium vitae conditionum [92]), sed in eo inprimis versaretur, quod tantum generalissimis humanae naturae legibus pareretur. Talem vivendi rationem qui sequeretur, sapiens ei visus est et liber [93]), ideoque quippe qui communi naturae humanae consilio convenienter viveret, beatus. At beatitudinis, quae in perfecta perturbationum et cupiditatum vacuitate sita est, homo, quamdiu corpus habet, particeps fieri nequit: quod cogitans dixit Antisthenes, beatissimum esse mori in rebus secundis [94]). Sicut vero virtutem a corporis operationibus et voluptate ex iis oriente alienam esse voluit, sic ab alta scientia quoque eam separavit. Prudentiam quidem quandam postulat, quam ait esse murum tutissimum [95]), sed indigere virtutem multis disputationibus ac disciplinis, negat [96]). — Quibus ex omnibus dictis colligere licet, Antisthenem eosque, qui eum secuti sint, de virtute, qualis sit, non satis circumspecte disseruisse. Verum qualiscunque est, in **virtute** posuerunt summum bonum, et quum Cyrenaici hunc locum voluptati tribuerint, una restat ex tribus, quae in humana natura discerni possunt, partibus. Nam non solum, ut se suumque genus vescendo et procreando conservet, non ut obscuro quodam honesti sensu ductus agat et cum virtute vivat, natus est homo, sed etiam ut, quae sint vera et bona, cognoscat et

---

πρὸς εὐδαιμονίαν, μηδενὸς προσδεομένην, ὅτι μὴ Σωκρατικῆς ἰσχύος. ib. 104: *τέλος εἶναι τὸ κατ' ἀρετὴν ζῆν.*

92) Diog. VI. 12: *ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς ἡ αὐτὴ ἀρετή.* ib. 11: *τὸν σοφὸν οὐ κατὰ τοὺς κειμένους νόμους πολιτεύεσθαι ἀλλὰ κατὰ τὸν τῆς ἀρετῆς.*!

93) ib. 11: *αὐτάρκη εἶναι τὸν σοφόν· πάντα γὰρ αὐτοῦ εἶναι τὰ τῶν ἄλλων.*

94) ib. 5.

95) ib. 13: *τεῖχος ἀσφαλέστατον, φρόνησιν.*

96) ib. 11: *τὴν ἀρετὴν τῶν ἔργων εἶναι, μήτε λόγων πλείστων δεομένην μήτε μαθημάτων.* Cfr. ib. 103 sq.

Digitized by Google

intelligat. Quum igitur commune Socraticorum [97]) vitium sit, in summo bono definiendo disjungere quae proprie separari nequeunt, non defuerant, qui hanc unam cognoscendi facultatem reliquis posthabitis pro summa duxerint.

Cujus sententiae auctorem extitisse Euclidem Megarensem, probabiliter conjici mihi videtur. Si enim, sicut traditum est, dixit bonum esse unum, quod sit idem semper et multis nominibus appelletur, hoc eum sensisse opinor, commune bonum, quod per omnia regnet, quoque tota rerum natura tendat, esse ens quoddam cogitabile et divinum, vel deum ipsum, itaque summum humanum bonum esse intimam conjunctionem humanae mentis cum hac mente absoluta et omnium bonorum principio, quae fiat cognitione et intelligentia: atque hanc unam esse virtutem humanam [98]). Haec ratio, qua Megarici animum voluerunt se abstrahere a corpore, et ad ens illud, quod unum vere sit, evehi, ut ad finem homini propositum perveniatur, bene concinit cum dialectica eorundem ratione. Nam sicut ideas quasdam immobiles esse arbitrabantur, quarum neque inter se neque cum singulis rebus ulla esset commu-

97) De Socraticis ita ubique locutus sum, ut de eorum numero Platonem eximerem.

98) Diog. II. 106: *οὗτος ἓν τὸ ἀγαθὸν ἀπεφαίνετο πολλοῖς ὀνόμασι καλούμενον· ὁτὲ μὲν γὰρ φρόνησιν, ὁτὲ δὲ θεὸν καὶ ἄλλοτε νοῦν, καὶ τὰ λοιπά. τὰ δ᾽ ἀντικείμενα τῷ ἀγαθῷ ἀνῄρει, μὴ εἶναι φάσκων.* Distincto communi rerum universitatis bono a bono humano (v. cap. I.), loci sensus, quem Deycksius (de Megaricorum Doctrina p. 26 sqq.) non satis extricavit, apertus esse mihi videtur. Deus vel divina mens, in cujus voluntate finis omnium rerum positus est, est unum atque ipsum bonum; sapientia vel mens humana est unum humanum bonum, quod pariter atque illud *τἀγαθὸν* appellabatur. Unde utriusque boni confusio apud Diog. orta esse videtur. Vid. praeterea Cic. Acad. II. 42. Aristocles Peripateticus ap. Euseb. Praep. Ev. XIV. 17: *οἱ περὶ Στίλπωνα καὶ τοὺς Μεγαρικούς — — ἠξίουν — — τὸ ὂν ἓν εἶναι καὶ τὸ μὴ ὂν ἕτερον εἶναι, μηδὲ γεννᾶσθαί τι μηδὲ φθείρεσθαι μηδὲ κινεῖσθαι τὸ παράπαν.* Diog. VII. 161: *μίαν (ἀρετὴν) πολλοῖς ὀνόμασι καλουμένην (εἰσῆγον οἱ Μεγαρικοί).*

Digitized by Google

nio [99]), simili ratione, ut homo omnem contemnat communionem cum singulis rebus, praeceperunt, spretaque voluptate et virtute, quae in singularum mutabilium rerum fructu et usu cernuntur, ad unum illud ens animum dirigens in pura cogitatione versetur [100]). Itaque ne Megarica quidem doctrina, quamvis ad Eleaticam prope accedat, omnino recedit a Socratis decretis, quem vidimus sapientiae tantum pretii tribuisse, ut eam pro unico fere bono habere videretur: immo hac in opinione ita propemodum concinunt, ut haud inepte Plato in Philebo eam defendendam potuerit Socrati tradere. Sed quum eidem ejus corrigendae partes dederit, non dubito, quin Me-

---

99) Singulae ideae sunt unae in se; quomodo vero summae illi unitati eas subjectas esse cogitaverint, non liquet. Quae Plato in Sophist. p. 246 B sqq. de idearum amicis disputat, ad nullos alios referri posse nisi ad Megaricos, vidit Schleiermacherus, cui multi assensi sunt. Verba Aristotelis Metaph. N. 4. p. 1091 B 13: τῶν δὲ τὰς ἀκινήτους οὐσίας εἶναι λεγόντων οἱ μέν φασιν αὐτὸ τὸ ἓν τὸ ἀγαθὸν αὐτὸ εἶναι, quae Stallbaumius in Prolegg. ad Plat. Parmen. p. 62. (cfr. ejusdem Prolegg. ad Sophist. p. 9 sqq. et ad Politic. p. 62 sq.) dicit ad Euclidem referri oportere, non nego quadrare in ejus doctrinam, sed, collata simili sententiarum serie loci A. 6. p. 988 A 14 — 17, magis assentior Brandisio (de Perditt. Aristot. Librr. de Id. et de Bono p. 66.) et Trendelenburgio (Platon. de Id. et Numer. Doctrin. p. 97) et Hermanno (ind. lectt. Marb. hib. 1832 — 33 not. 56), quibus, sicut jam scholiastae, videntur ea Platonem spectare. Deycksius l. l. p. 51 non dubitat, quin Euclides aeque ac Plato hoc loco designetur.

100) Si cui in hac Euclidis de summo bono doctrina, cujus meam expositionem magis conjectura quam certis testimoniis niti haud ignoro, similitudo quaedam inesse videatur cum Anaxagorea, nolim negare. Nam prope sane Euclides vitae beatitatem et libertatem, quam omnes Socratici quaerebant, in mente et scientia ponens ad id accedit, quod jam Anaxag. de hominis fine et mentis absolutae libertate, qua menti humanae enitendum sit, sensisse videtur. Magis apparet aut certe clarioribus testimoniis confirmatur similitudo, quae est Antistheni cum Heraclito. Nam etiamsi illum Antisthenem, qui a Diogene (IX. 15) inter Heracliti commentatores nominatur, a Cynico diversum esse, quod Schleierm.

Digitized by Google

garicorum potius quam Socratis eam esse putaverit, et illos maxime spectaverit in eadem corrigenda vel refutanda [101]).

Quae omnia si probabiliter disputavimus, apparet, Socraticorum studiis doctrinam de summo bono qua provectam esse qua a veritate sancto Socratis animo jam obversata ad pravas opiniones relapsam. Recte fecerunt, quod, quid sit summum bonum, certius quam a magistro factum erat, studuerunt constituere: sed in eo definiendo, quum unusquisque eorum suo loco et veterum philosophorum et sophistarum [102]) sententias quodammodo repetiverit, singulas tantum partes summi boni apprehenderunt. Qua ratione id effectum est, ut si quis tres illas opiniones diligenter perspiceret, et inter se compararet,

---

in Museo antiquit. I. p. 319 negat, ipsi Laërtio (VI. 19) et Brandisio (Gesch. d. Philos. I. p. 153) concedamus, tamen certum est, a Cynicis ortos Stoicos multifariam Heracliteis placitis usos esse, et nos etiam habemus fragmenta Heraclitea, quae cum Cynica doctrina mire concinunt, velut ap. Stob. Flor. IV. p. 48: temperantiam esse maximam virtutem, ib. V. p. 74: siccam animam esse sapientissimam et optimam. Itaque quum ratio, quae inter Aristippum et Democritum intercedat, ante oculos posita sit, horum Socraticorum doctrinas illi tres viri, quos supra conjunximus, quodammodo praeformasse videntur.

101) Idem sentit Stallbaumius in Prolegg. in Phileb. p. 24 sq. (ed. a. 1842), qui verbis quoque Plat. de Rep. VI. p. 505 B: τοῖς μὲν πολλοῖς ἡδονὴ δοκεῖ εἶναι τὸ ἀγαθόν, τοῖς δὲ κομψοτέροις φρόνησις — Megaricos notari existimat. — Quorum rationem dialecticam cum opinione de sapientiae praestantia apte cohaerere, quum intelligeret Plato, hanc quoque ob causam in initio Philebi illam de uno, quod idem esset multa, disputationem instituisse mihi videtur.

102) Multis in rebus Aristippum cum Protagora, Antisthenem cum Euthydemo consensisse, hic exponere longum est. Euclides a Zenone Eleata, qui non longe differt a sophistis, multa repetens prae ceteris Socraticis maxime affinis est non solum, ut dixi, Anaxagorae, verum etiam Platoni, cujus de ideis et de bono sententiam Anaxagoreae philosophiae cognatam esse, Aristoteles innuit et nuper Breierus uberius demonstravit. Tales comparationes admodum utiles esse arbitror, nisi similitudinibus quaesitis dissimilitudines negligantur. —

Digitized by Google

intelligere posset, simul singulas per se spectatas non esse veras, simul inesse quandam iis veritatem et unamquamque illarum trium rerum non esse quidem per se summum bonum, tamen huic abesse non posse et cum reliquis conjunctam perficere atque absolvere vitam beatam. Is, qui primus haec clare intellexit et diligenter explicavit, fuit summus Socratis discipulus, Plato, ad cujus de summo bono doctrinam enarrandam et illustrandam jam transeamus.

Digitized by Google

PLATONIS DE SUMMO BONO DOCTRINA.

Cap. I.

Quod universae philosophiae Platonicae tribuitur, eam tamquam unum integrum corpus varia membra philosophiae, ante separata et disjecta, in se collecta et contexta tenere, id quum in omnibus ejus partibus, tum in doctrina de summo bono conspicuum est. Nam quum antecedentium philosophorum alii quaererent de fine et consilio totius rerum universitatis neglecta humanae mentis et vitae consideratione, alii in hac sola versantes rerum naturalium investigatione omnino supersederent, Plato utrorumque rationes consociavit intelligens ethicam a physica non ita posse separari, ut, qui sit finis homini propositus et quid huic tamquam summum bonum sit expetendum, cognoscere liceat, nisi, quid sit in omni rerum natura bonum, totiusque mundi consilium exploretur [1]. Homo enim, ait ille, nihil nisi pars una est universitatis rerum, ad hanc semper spectans et tendens: ac quum omnia singula illius universi gratia sint generata et constituta, ut hoc bene se habeat et ad perfectum beatumque statum perveniat, homines ea lege nati sunt, ut pro sua quisque parte id agant, quod universi requirat consilium et salus. Quamquam vero totum non ad partem sed singulas partes ad totum referri oportet, tamen idem et nihil, nisi quod toti optimum est, singulis convenit,

---

1) Bene de eo Aristocles ap. Euseb. Praep. Ev. XI. 3. sic judicat: *ἠξίου μὴ δύνασθαι τὰ ἀνθρώπινα κατιδεῖν ἡμᾶς, εἰ μὴ τὰ θεῖα πρότερον ὀφθείη.*

Digitized by Google

atque homo suam quoque perfectionem et beatitudinem sibi comparat, si communi perfectioni inservit [2]). — Hoc est sententiarum, quas Plato multis in scriptis de hominis munere eoque, quod ei sit appetendum et agendum, pronuntiavit, quasi fundamentum. Esse, habet sibi persuasum, unum quiddam per se constans neque ulli vicissitudini neque hominum arbitrio obnoxium, quo omnes res natura sua impulsae tendant et hominibus omnia vivendi et faciendi consilia sint referenda. Quod omnibus tamquam commune bonum propositum, si quis velit credere, in divino quodam numine situm esse et e dei voluntate pendere, Plato haudquaquam adversetur [3]). Quum igitur Socrates, qui summum illud principium sensu quidem quodam interiori perceperat, in colloquiis autem omnia magis ad hominum commodum et communem consensum referebat, censeret, hominem esse omnium rerum mensuram, scilicet sapientem, Plato contra judicavit, hanc rerum mensuram supra hominum mentem et voluntatem sitam esse in deo [4]), cujus cum voluntate quae congruant esse vera et bona, quae

2) Significantur haec in libro decimo, quem de Legibus scripsit Plato. Quamquam enim multa huic operi insunt, quae magis religiose quam philosophice disputata esse videntur, tamen illud a philosopho nostro alienum esse minime existimo. Praeclaram certe illam de summo bono sententiam cum iis, quae in ceteris libris Platonicis doceantur, bene concordare, reliqua mea disputatio demonstrabit. Verba, quae hoc loco praecipue respexi, sunt (de Legg. X. p. 903): *τῷ τοῦ παντὸς ἐπιμελουμένῳ πρὸς τὴν σωτηρίαν καὶ ἀρετὴν τοῦ ὅλου πάντ' ἐστὶ συντεταγμένα, ὧν καὶ τὸ μέρος εἰς δύναμιν ἕκαστον τὸ προσῆκον πάσχει καὶ ποιεῖ. — ὧν (μερῶν) ἓν καὶ τὸ σόν, ὦ σχέτλιε, μόριον εἰς τὸ πᾶν ξυντείνει βλέπον ἀεί, καίπερ πανσμικρὸν ὄν. — γένεσις ἕνεκα ἐκείνου γίγνεται πᾶσα, ὅπως ᾖ ἡ τῷ τοῦ παντὸς βίῳ ὑπάρχουσα εὐδαίμων οὐσία, οὐχ ἕνεκα σοῦ γιγνομένη, σὺ δὲ ἕνεκα ἐκείνου. σὺ δὲ ἀγανακτεῖς ἀγνοῶν ὅπῃ τὸ περὶ σὲ ἄριστον τῷ παντὶ ξυμβαίνει καὶ σοὶ κατὰ δύναμιν τὴν τῆς κοινῆς γενέσεως.* —

3) Cf. de Legg. XII. p. 967 A.

4) De Legg. IV. p. 716 C: *ὁ δὴ θεὸς ἡμῖν πάντων χρημάτων μέτρον ἂν εἴη μάλιστα καὶ πολὺ μᾶλλον ἤ πού τις, ὥς φασιν, ἄνθρωπος.* — Itaque sophistis in dicendo id unice agentibus, ut hominum as-

Digitized by Google

non, falsa et mala. Apparet, illud Socratis dictum hac ratione non negari, immo confirmari simulque ad principium suum revocari. Nam si is solus sapiens est, qui numen déi absolutumque illud bonum penitus perspexit, sapienti quoque licet vera et falsa, bona et mala dijudicare, non vero tamquam ex sua propria mente, sed ex mente communi et divina. Quapropter utramque rationem conjunxit in extremis verbis Politiae, quibus hujus vitae eum esse summum finem dicit, ut et nobismet ipsis simus et diis amici. Itaque ad deorum voluntatem et ad rectam nostram ejus intelligentiam censet totam esse componendam vivendi agendique rationem.

Haec de summi boni notione, qualem Plato conceperit, praemisi, ut intelligatur, novam eum in illo constituendo ingressum esse viam et dignissimam, quam diligentissime perlustremus. Quod ut fiat, Platonisque de summo bono sententia cum omnibus, quibus nitatur, argumentis explicetur, primum, qua ratione de alienis eandem rem attingentibus sententiis judicaverit, quaerere et exponere nos oportet.

Quaecunque ante Platonem et a philosophis et a philosophiae imperitis de summo bono pronuntiatae sunt sententiae, ad illas tres ab Aristippo, Antisthene, Euclide defensas possunt revocari [5]. Si enim Platonis aetate vulgus iis rebus vitam beatam contineri opinatur, quas Herculi Prodiceo patrona vitiositatis tamquam bona a se data enumerat [6], vacuitate laborum et fructu omnium, quae sensus permulcent, nihil aliud quaerunt quam voluptatem: si meliores et politiores virtutem ibi descriptam sequuntur, ut gratiam deorum, amorem amicorum, honorem in civitate, gloriam in Graecia, opes, valetudi-

---

sensum auferrent, Plato jubet sapientem id studere, ut diis grata et dicat et faciat. Phaedr. p. 273 E. cf. p. 242 D.

5) Hanc etiam ob causam ex omnibus a Socrate proxime ortis philosophis hos tres solos praeter Platonem nominavimus. Eretriacos philosophos cum Megaricis ita consensisse, narrat Cicero (Acad. II. 42), ut eorum omne bonum in mente positum fuerit et mentis acie, qua verum cerneretur.

6) Xen. Mem. II. 1, 24 sqq.

Digitized by Google

nem, bonam posteritatis memoriam, et ita felicissimam beatitatem (τὴν μακαριστοτάτην εὐδαιμονίαν) adipiscantur [7]), finis, ad quem omnia haec optata redeunt, aut est voluptas, quae ex opibus, honore, ceteris proficiscitur, aut virtus, quae propter se expetitur, simulque firmissimum praesidium est honoris, aut, cujus causa vulgus quidem non multa facit, philosophi vero ut omnia agenda et bona illa externa quoque quaerenda esse existiment, fieri potest, rerum cognitio et scientia. Quibus ex finibus si quis unum solum persequitur, aut voluptariam agit vitam aut actuosam aut contemplativam: quae tria vitae genera jam Pythagoras distinxisse traditur [8]), et Aristoteles (Eth. Nic. I. 3) acute ad illos tres fines refert. Nam vitae actuosae (βίου πολιτικοῦ) ultimum finem, ait, proprie non esse honorem sed virtutem in agendo versantem, neque ullos alios praeter hos fines a quoquam expeti [9]). Atque, ut jam ad Platonem veniamus, apud hunc quoque easdem vitae rationes significatas invenimus, ubi tria esse genera hominum dicit [10]): alios lucri studio teneri, ut cupiditates suas explere possint, id solum agere alios, ut potentiam et honores sibi acquirant, alios denique soli veritati rerumque cognitioni studere. Quum vero singulis vitae generibus propriae sint voluptates, has Plato ita inter se comparat, ut philosophi vitam esse jucundissimam demonstret. Sed magis huc pertinet, quod tribus illis finibus, qui appetantur, totidem a natura homini insitas cupiditates et vires respondere intellexit. Triplex est ex ejus sententia vis animorum. Una animi quasi pars est, qua corporis nostri conservationem sensuumque delectationem appetimus (τὸ ἐπιθυμητικόν), altera rationalis, qua discimus et cognoscimus (τὸ λογιστικόν), tertia, qua ad agendum ducimur (τὸ θυμοειδές) [11]). Prout igitur quisque

---

7) Vid. ib. §. 28 et 33.

8) Cicer. Tusc. V. 3. Iamblich. vit. Pythag. §. 58.

9) Cf. Eth. Eudem. I. 4 et c. 1: οἱ μὲν τὴν φρόνησιν μέγιστον εἶναι φασὶν ἀγαθόν, οἱ δὲ τὴν ἀρετήν, οἱ δὲ τὴν ἡδονήν.

10) De Rep. IX. p. 580 D sqq.

11) V. inpr. de Rep. IV. p. 436 A. IX. p. 580 D E. Quid sit τὸ θυ-

Digitized by Google

hanc vel illam naturae suae partem magis fovet unique reliquas subjicit, aut maxime petit voluptatem aut scientiam aut agendi laudem et virtutem. Is vero, cujus vitae conjunctio harum rerum quam perfectissima contigit, summum vitae bonum assecutus est, quod omnia explet naturae humanae desideria, itaque beatitatem efficit omnibus numeris absolutam. Quibus recte perspectis [12]) Plato nulla praeter illa tria censuit esse vere bona et propter se optabilia, nam eorum causa non propter se omnia cetera expeti, quae ea tantum ratione bona appellari possent, qua conducerent ad illa assequenda. Ea enim, monet, quae vulgo vocentur bona (*τὰ λεγόμενα ἀγαθά*

μοειδές, media facultas inter rationem et appetitum interposita, apud Platonem non satis liquet. Attamen non dubito, quin voluntatis vim et facultatem significare voluerit. Haec enim facultas, quae est *τὸ ἐπιτελοῦν τὰ βουλευθέντα* (de Rep. IV. p. 442 B), peragit quae mens jubet, neque unquam contra mentem et rationem pugnat (de Rep. IV. p. 440 BC), sed est equus ille placidus et moriger, qui semper menti aurigae obedit (Phaedr. p. 246 B). Ars gymnastica excitat et confirmat hanc voluntatem et vim agendi (die Thatkraft der Seele — v. de Rep. III. p. 410 B), quae, mentis cultura neglecta, evadit aspera et immitis, atque ubi in studio suo dominationis, victoriae, gloriae (ib. IX. p. 581 A) a ratione non inhibetur neque regitur, gignit *φιλοτιμίαν, φιλονεικίαν, δυσκολίαν* (ib. p. 586 C. VIII. p. 548 C. 550 B).

12) Quid de notione summi humanae vitae boni, quippe in se perfecti, omnino sufficientis, nihil requirentis Plato statuerit, jam supra in Introductionis cap. I. monitum est. Optabile omnibus dici potest (v. Phileb. p. 20 D. 22 B), quia omnibus humanae naturae desideriis satisfacit, neque quisquam aliud appetit nisi quod natura sua desiderat. Naturae autem nostrae desiderium voluptatis vere insitum eamque expetendam esse, concedit Plato, ubi ex sensu communi et notione summi boni efficit, ad hoc absolvendum neque voluptatem per se solam, neque sapientiam nulla adjuncta voluptate sufficere, optimam autem vitam et perfecte beatam nec voluptate nec sapientia posse carere (Phileb. p. 20 B — 22 B). Sed qualis esse debeat voluptas, qualis scientia, et quomodo sit cum virtute agendum, tum quaeritur. Quam quaestionem qua ratione Plato dissolverit, nobis est exponendum.

Digitized by Google

— de Rep. VI. p. 491 C. al.), velut corporis valetudinem, pulchritudinem, divitias, generis nobilitatem, potentiam, honores, per se nec bona esse nec mala; esse bona ei, qui recte iis utatur eaque ad virtutis usum et sapientiae studium justumque voluptatis fructum referat.[13]). Haec animi bona vere esse nomine digna, quibus cetera, quae inprimis a posterioribus philosophis appellantur externa bona (τὰ ἐκτὸς) et bona corporis debeant servire [14]).

Quae quum ita esse Plato statuerit, non est, quod miremur, eum in Philebo quaestionem de summo bono ita pertractasse, ut eorum tantum sententias respiceret et examinaret, qui aut sola voluptate aut scientia vitam beatam contineri censuerant. Tertiam enim opinionem, quae, sapientia et voluptate neglectis, unice in recte agendo et cum dignitate vivendo summum bonum ponit, ideo non respexit, quia sine sapientia recte agi posse negavit, et virtutem a scientia et cognitione boni non profectam nullam esse arbitratus est. Alteram igitur in Philebo videtur sequi animi humani divisionem, qua nonnunquam utens duas tantum partes distinguit, alteram rationalem, alteram irrationalem [15]). Hujus est voluptatem petere, illius cognoscere, quid rectum bonumque sit. Quod qui cognoverit, eundem id facere, persuasum quum sibi haberet Plato et in Philebo finem homini propositum summamque humanae naturae perfectionem investigare vellet, nihil aliud ei erat agendum, quam ut et in voluptatem, quomodo ea frui liceat, inquireret, et de scientia, qualis debeat esse, disputaret. His exploratis principia omnis bene beateque vivendi sunt inventa, et finis bonorum, qui ho-

13) V. Euthyd. p. 279—281. Meno p. 87 E. de Rep. I. p. 331 AB. de Legg. II. p. 661. IX. p. 870 B.

14) Cf. Arist. Eth. Nic. I. 8. Eadem bonorum divisione et ipse utitur Plato de Legg. III. p. 697 B; innuit eam jam in Phaedr. p. 239. 241 C. Gorg. p. 477 B. Phileb. p. 48 E. Alibi animi bonis reliqua communiter opponit, et illa appellat majora et divina, haec minora et humana. de Legg. I. p. 631 B. V. init.

15) Phaedr. p. 237 D. Tim. p. 69 C sqq. Aristot. Eth. Nic. I. 13. Polit. III. 4 p. 1277 A 6. VII. 14 p. 1333 A 16. ib. 15 sub fin. Eth. Magn. I. 1. de Anim. III. 9 §. 2. ibique Trendelenb.

Digitized by Google

mini appetendus sit, universe statui potest. Sed quibus singulis viis et rationibus, ut ad illum finem perveniant, hominibus sit enitendum et, quae mens praecipiat, exsequendum, alia est quaestio, quae totam ethicam doctrinam complectitur et a Platone inprimis in libris de Republica scriptis tractata est. Haec quoque nobis erit respicienda penitius intellecturis, qualem philosophus noster totam vitam humanam esse voluerit, ut esset perfecte beata. Disseremus igitur de singulis ejus momentis, ita ut, qualia ab illo definita sint, qualisque inter ea intercedat ratio ac necessitudo, cognoscatur: primum de voluptate, tum de scientia: deniquc universam agendi rationem a Platone praeceptam adumbrare conabimur.

Cap. II.

De **voluptate** non solum in Philebo, sed in aliis etiam dialogis multa a Platone copiose disputata sunt quum eam ob causam, ut videtur, quod desiderium voluptatis in ipsa natura humana ita situm est, ut semper omnes homines, inprimis ii, quorum animi ad altiorum studia non erecti sunt, aliqua ratione eam appetant, tum praecipue, quia Platonis aetate, qua multi ad nimium sui studium propensi erant, etiam philosophi extiterant, qui illud desiderium pro summo habebant, voluptatemque unam dignam esse, quae appeteretur, rationibus studebant demonstrare. Talem opinionem alii quum veram non esse intelligerent, nec tamen, quid veri in ea lateret, possent perspicere, ut fit, vera cum falsis rejiciebant et in alteram plane contrariam sententiam delabebantur, voluptatem minime esse expetendam, immo tamquam malum fugiendam. Ad has autem sententias dijudicandas, Plato primus recte intellexit, ante omnia opus esse accurata quaestione de **notione** et **natura voluptatis**: nam hac demum explorata de voluptatis pretio ac dignitate licet prudenter judicare [16]. Investigaturus

16) Praesertim in quaestiones ante Platonem de voluptate agitatas quadrant quae in Phaedro p. 237 C leguntur: *τοὺς πολλοὺς λέληθεν, ὅτι οὐκ ἴσασι τὴν οὐσίαν ἑκάστου. ὡς οὖν εἰδότες οὐ διομολογοῦνται ἐν ἀρχῇ τῆς σκέψεως, προελθόντες δὲ τὸ εἰκὸς ἀποδιδόασιν·*

Digitized by Google

igitur in Philebo, quid sit summum bonum et quae huic sit necessitudo et cum voluptate et cum scientia, primum de natura voluptatis (ἥντινα φύσιν ἔχει — p. 12 C) perquam copiosam instituit disputationem, cujus amplitudo gravitatem indicat, quam rectum judicium de voluptate in summo bono definiendo habere Platoni visum sit, et nos fortasse excusabit, si cui diutius in ea disputatione illustranda commorati esse videbimur.

Via ac ratio, qua Socrates in **Philebo** de voluptatis notione disserit, haec est. Voluptas, inquit, nomen quidem habet unum, ita ut hoc solum respicienti ea unum et simplex quiddam esse videatur. Est vero multiplex (ποικίλον), et admodum varias maximeque inter se dissimiles formas habet, quae voluptatem, quid et quale sit, cognituro accurate sunt indagandae et discernendae, ut singulae innumerae voluptates in certas species ac formas conjungi possint, et, qua ratione sub unam communem notionem cadant, intelligatur. Sed antequam Socrates ipsam aggreditur expositionem formarum et generum voluptatis, alia interponit, quae quum ad universam summi boni quaestionem, tum ad voluptatis notionem explicandam maximi sunt momenti. Dividit (p. 23 C) omnia, quae sunt in rerum universitate, in quatuor partes, quarum tribus summa rerum omnium principia significantur, quarta res ipsas ex illis generatas continet. In omnibus enim, quae certam definitamque existentiam habent, discernere licet inter id, ex quo facta sint, et id, quo subjecta sive substrata materia sit conformata et certis iis finibus et terminis, quos res jam habet, inclusa. Tertia causa, ad unamquamque rem concretam

---

οὔτε γὰρ ἑαυτοῖς οὔτε ἀλλήλοις ὁμολογοῦσιν. Nam perversae de voluptatis dignitate opiniones inde natae sunt, quod natura ejus non percepta multi pro voluptate habebant, quae nulla erat, neque de omnibus voluptatibus, quae esset communis earum ratio, diligenter cogitabant, neque singula voluptatis genera accurate discernebant. ταῦτ' ἔστιν, inquit Plat. Phileb. p. 15 C, τὰ περὶ τὰ τοιαῦτα ἓν καὶ πολλά, ἁπάσης ἀπορίας αἴτια μὴ καλῶς ὁμολογηθέντα, καὶ εὐπορίας ἂν αὖ καλῶς.

Digitized by Google

gignendam necessaria, est quae efficit, ut materia cum certa quadam forma in unum coalescat. Has tres causas, quas appellemus materialem, formalem, efficientem, significare Platonem contendo, quum τὸ ἄπειρον et τὸ πέρας ea dicat esse, quorum conjunctione unumquidque, quod sit unum quid (ἕν τι), nascatur, ac tamquam tertium principium iis adjungat causam illius conjunctionis (τῆς ξυμμίξεως τούτων πρὸς ἄλληλα τὴν αἰτίαν). Ἄπειρον enim vel infinitum dicitur, quod omni caret certo ac definito modo, neque ullas prae se fert certas quantitatis aut qualitatis rationes. Apparet, proprie nihil aliud ita dici posse, nisi communem illam materiam, quae priusquam singulae res inter se diversae et secretae extiterunt, non quidem vere fuit, sed fuisse mente fingitur. Etenim materia per se omnis expers formae et qualitatis ipsa existere nequit (nam si non certam habet formam et qualitatem, nullam habet), sed principium est omnis existentiae, quod non nisi quadam cogitatione possumus amplecti, si a singularum rerum formis omnibusque per has formas discretis materiae partibus mentem abstrahimus. Talem materiae notionem optime descripsit Plato in Timaeo. At hoc loco non de illa tamquam absoluta omnibus rebus subjecta materia sermo est, sed eadem vox ἄπειρον relativo quodam sensu usurpatur. Nam, ut exemplo a Platone allato utar, calor certa qualitas est, distincta ab aliis qualitatibus, velut siccitate, magnitudine; ergo hac ratione definitam habet notionem a ceteris discretam. Si vero per se spectamus calorem eumque non nisi ad singulas calidas res referimus, tum apparet, in harum quidem unaquaque eum in certo quodam gradu positum esse, per se autem infinitum habere ambitum, omnis graduum mensurae expertem. Eodem modo aes certam et finitam habet qualitatem, sed ad singulas res aeneas relatum materia est, quae nisi cum modo quodam et forma conjungitur, per se infinita est et capax tantum omnium formarum. Conspicimus autem eam nusquam, sed quaequae conspiciuntur singulae sunt res aeneae, in quarum unaquaque materia aenea jam in certam formam est redacta certisque finibus inclusa. Id autem, quod materiam finit eam-

Digitized by Google

que quasi includit, appellat Plato τὸ πέρας i. e. finiens [17]), et quod materiam cum finiente forma conjungit ac sic efficit, ut certa quaedam res existat (quae pertinet ad μικτὴν καὶ γεγενημένην οὐσίαν — p. 27 B), est τὸ αἴτιον, sive τὸ ποιοῦν et τὸ δημιουργοῦν (p. 26 E. 27 B). Itaque aes per se infinitum statuae est causa materialis, τὸ πέρας, quod artifex animo concipit et aeri circumdat, causa formalis, atque hic, qui aes, quo tamquam rudi et informi utitur, certa ratione fingit et conformat, est causa efficiens [18]). Ut vero apud Aristotelem notio materiae (τῆς ὕλης καὶ τοῦ ὑποκειμένου) latius patet, sic Plato quoque infinitum suum minime in corporea sola materia ponit, sed quaecunque in se per se ipsa nullam definitam habent mensuram eamque, ut certis rationibus praedita compareant, quasi extrinsecus sibi petunt, ad infiniti genus refert: qualia sunt calor, siccitas, multitudo, celeritas, magnitudo, alia [19]). Si quis enim dicit, rem quandam esse magnam, nihildum certi habemus, priusquam ad ejus magnitudinem mensuram aliquam adhibuimus et cognovimus,

---

17) P. 23 C. 25 AD (ἡ τοῦ πέρατος sive τοῦ περατοειδοῦς γέννα) 26 CD. 27 BD. 30 A. Cfr. Meno p. 76 A: κατὰ παντὸς σχήματος τοῦτο λέγω, εἰς ὃ τὸ στερεὸν περαίνει, τοῦτ' εἶναι σχῆμα· ὅπερ ἂν συλλαβὼν εἴποιμι, στερεοῦ πέρας σχῆμα εἶναι.

18) Is, qui haec omnia acutissime explicavit, atque inprimis infiniti et materiae naturam adhibitis δυνάμεως et ἐνεργείας notionibus clarissime illustravit, est maximus Platonis discipulus, Aristoteles. A Platone autem jam discriminis inter τὸ δυνάμει ὂν et τὸ ἐντελεχείᾳ quasi fundamenta jacta esse, nemo, qui in Philebo de infinito, in Timaeo de materia, in Parmenide de uno et τοῖς ἄλλοις, in Sophista de μὴ ὄντι disputata diligenter pensitavit, Simplicio (in Scholl. coll. a Brandisio p. 343 B 25) non concedet, ut mihi quidem videtur, tametsi contraria sentit Weisse in annot. ad Arist. Phys. p. 302. Cf. etiam Brandisius de Perdit. Arist. Librr. de Bono p. 62 64.

19) Stallbaumius Prolegg. in Phileb. p. 37: „Voluit philosophus haec principia non modo in morali hominum vita, verum etiam in ideis atque in tota rerum universitate valere": quod quam vere dictum sit, infra clarius apparebit.

Digitized by Google

quanto hac major vel minor sit. Ipsa magnitudo per se sic infinita est, ut nihil tam magni neque tam parvi excogitari possit, quin rursus aliud quid majus vel minus animo concipiatur. Definitam quantitatis vel qualitatis speciem (ποσόν, μέτριον) tum demum habemus, postquam mensura quadam certus gradus quantitatis vel qualitatis est constitutus. Metiuntur autem utramque ex Pythagoreorum sententia, quam Plato hic ad suam rationem accommodavit, numeri, quorum vis eo cernitur, quod eorum unusquisque partem certam infiniti determinat et multa singula ita complectitur, ut jam unum quiddam in se conjunctum efficiant [20]. Ad numeros igitur revocatur totum finientis genus (p. 25 AE), quod in se continet omnia, quae infinitae alicui materiae finem, rationem, formam praebent, ejusque partes ita inter se connectunt, ut jam certa qualitate et quantitate definitae res existant. Qua ex conjunctione et commixtione infiniti cum finiente vel materiae cum forma, ubi recte, per causam scilicet justam et rationalem, efficitur (ut sit ὀρθὴ κοινωνία — v. p. 25 E), gignuntur quaecunque pulchra et perfecta possunt appellari [21].

---

20) In quoque numero per se spectato jam est unitas et multitudo. Nam mera unitas nondum est numerus. Numerus vero binarius vel ternarius est unitas complurium, duarum scilicet vel trium monadum. Quomodo autem numeris vis insit metiendi, exemplo explicabo, nam, si quis de his rebus scribit saepe parum intellectis, non facile nimii claritatis studii crimen contrahet. Linea mathematica per se est infinita et innumeros pedes longa. Numerus, qui paucos pedes ita comprehendit, ut jam tamquam una definita longitudo spectentur, certam lineam definit. Cum certa autem quantitate, quae per numerum constituitur, in rebus concretis semper certa qualitas conjuncta est, id quod clarissime apparet in fidium vibratione.

21) In tota hac principiorum Platonicorum vel Pythagoricorum enarratione non potui non multum ab ea illorum explicatione recedere, quam nuper in Prolegg. in Philebum p. 36 sqq. Stallbaumius proposuit, et eam sententiam tueri, quam ille meritissimus Platonis interpres omnino falsam et ineptam esse judicavit (p. 40). Τὰ περαίνοντα Philolai sunt finientia, non finita, et verissime jam Boeckhius in Philolao p. 47 sic locutus est: „Περαίνοντα heifst

Digitized by Google

Quibus de notione illorum principiorum praemissis quaerendum est, quid fuerit, cur Plato voluptatem ad infiniti genus retulerit. Quod Philebus primum dicit (p. 27 E), voluptatem numero (πλήθει) esse infinitam, per se patet; nam multitudo singularum a singulis animantibus perceptarum voluptatum est innumera. Sed quum hoc in omnes notiones generales cadat, non proprium est voluptatis. Quod vero addit ille, gradu (τῷ μᾶλλον) quoque infinitam eam esse, explicandum est, quo sensu dictum sit. Voluptas ubicunque repe-

---

nicht Begrenztes, wie es Einige genommen haben, sondern Begrenzendes, was Platon im Philebos Grenze (πέρας) nennt." Stallbaumius contra tam τὸ περαῖνον quam τὸ πέρας finitum esse vult, et censet (p. 36), ubi infinitum cum finito in unum coëat, oriri genus mixti. At infinitum nequit cum finito in unum coire, sed id, quod tamquam infinitum cogitatur, cum finiente forma conjungi mente fingitur, et tum demum mixtum quid ex forma et materia sive finitum existere. Habent sane Pythagorei quaedam finientia, quae simul sunt quadam ratione finita (πεπερασμένα); numeros dico. Qui sunt finiti, quatenus quisque per se constare cogitatur, et materiam quandam (Inhalt), quae est multitudo monadum (vid. not. 20), in se continet atque unitate comprehendit et finit. Sed quatenus numeri ad res per eos metiendas et finiendas referuntur, et cum earum infinitate conjuncti esse cogitantur, definiunt hanc infinitatem, et sunt merae formae nihilque nisi finientia (περαίνοντα). Ac de hac sola ratione, quae intercedit inter infinitam materiam et finientem formam (τὸ πέρας) hoc Platonis loco sermo est. Numeri habent sane finem sive sunt πέρας ἔχοντα (p. 24 A. 26 B), sed hoc loco solum spectantur tamquam finem et formam non sibi sed aliis, infinitis scilicet, habentes sive praebentes. Verbum enim ἔχειν etiam praebendi et afferendi sensum habere, notum est. Cf. ex. gr. de Legg. VIII. p. 836 A: ταῦτ' οὖν πρὸς μὲν τὰς ἄλλας ἐπιθυμίας μέτρον ἔχει h. e. modum facit sive praebet; et quod in Phileb. p. 26 B. νόμος et τάξις πέρας ἔχοντα appellantur, nihil aliud potest significare, nisi, legem et ordinem iis, quibus insint (cogites quaeso de lege processus physici), modum et finem praebere. Τὸ πέρας ἐν τοῖς αὐτοῖς (p. 26 C) est omnis lex, ordo, finis, modus, forma, quidquid ex his in aliqua re, aut quiescente aut mota, aut sensu aut cogitatione percepta, comparet.

Digitized by Google

ritur, a certo animali et ex certa re percipitur, ipsa igitur certa et definita est, certosque fines habet, ultra quos si quis velit eam augere vel minuere, voluptatem ipsam extinguet. Quocirca de voluptate a certis rebus certique animalis sensu remota et per se spectata sermo videtur esse accipiendus, quasi dicatur, quemadmodum per se nullus caloris gradus, nullus celeritatis modus animo fingi possit, qui sit absolute maximus vel minimus, sic voluptatis gradibus nullum esse finem [22]), neque ullam cogitatione poni posse voluptatem, qua non rursus alia aut major aut minor excogitetur. At non ita Platonem sensisse contendo. Nam quum voluptates et puras et cum dolore mixtas omnes ex ejus natura, a quo percipiantur, pendere vellet, non poterat non concedere, eam voluptatem, quae ab omni doloris admixtione perfecte pura sit et ex optimo naturae desiderio explendo oriatur, esse optimam et maximam [23]). Aut igitur Plato perperam ad voluptatem infinitatis notionem transtulisse existimandus est, aut aliter etiam ejus sensus intelligendus.

Cujus recta explicatio in eo sita esse mihi videtur, quod pariter atque in nostro vocabulo Lust in graeco ἡδονὴ duas

---

22) Τὸ θερμότερον καὶ ψυχρότερον, ait p. 24 B, μὴ τέλος ἔχειν· ἀτελῆ δ' ὄντε δήπου παντάπασιν ἀπείρω γίγνεσθον.

23) Haec fere sententiae de infinitate voluptatis acute opponit Aristoteles Eth. Nic. X. 2 p. 1173 A 22. Si aliae statuantur, inquit, voluptates purae, aliae mixtae, fortasse omnis in ea comparens graduum diversitas e varia doloris admixtione pendet, nihilque impedit, quominus voluptas per se definitum quiddam sit certamque habeat notionem, quae sit finis et modus singularum voluptatum, sicut sanitas, licet singula sana corpora semper propter morbi quandam admixtionem tantum magis minusve ad eam accedant, tamen definita et bonum quid est. — Singulas voluptatis perceptiones (τὸ ἥδεσθαι) inter se gradu differre, Arist. concedit (ib. lin. 17), sed non hanc ob causam voluptatem ipsam pro infinito et malo habendam esse. Hoc ad Platonis de voluptate sententiam non pertinere, ex disputatione nostra apparebit, quae a Platone voluptatem non e bonorum numero exclusam esse vel in malis positam ostendet.

Digitized by Google

licet discernere notiones. Etiamsi enim hoc proprie significat perceptionem jucundi, αἴσθησιν τοῦ ἡδέος, tamen nonnunquam sic usurpatur, ut nihil sit nisi libido, cupiditas, appetitus jucundi, ὄρεξις τοῦ ἡδέος [24]). Accuratius quidem naturam voluptatis perspicientibus hae duae notiones non ita diversae videbuntur, ut non apte potuissent uno nomine appellari. Nam si voluptas ibi nascitur, ubi desiderium naturae expletur, hoc autem non aliter fieri potest ac cum quadam naturae operatione, voluptas in operatione posita est. Quum vero omnis operatio (ἐνέργεια), quamquam finem quendam jam in se habet, tamen, quatenus motus est, simul ad finem tendat, voluptas, quae cum operatione intime ita conjuncta est, ut una cum ea oriatur et desinat, semper simul in se continet et sensum et appetitum jucundae expletionis. Quisquis

---

24) Exempla hujus usus sunt: Herod. I. 24: τοῖσι ἐσελθεῖν ἡδονὴν i. e. eos invasisse cupidinem. Pherecrates ap. Plut. Moral. p. 1141 D: ἐμοί τε λέξαι θυμὸς ἡδονὴν ἔχει. Thucyd. II. 53: καθ' ἡδονὴν ποιεῖν i. e. pro libito, secundum libidinem suam facere. Xenoph. Cyrop. IV. 3, 2: τῇ ἡδονῇ χαριζόμενοι i. e. libidini indulgentes. Item Plato de Legg. V. p. 727 C: ταῖς ἡδοναῖς χαρίζεσθαι, eodemque cum sensu legitur de Rep. VIII. p. 561 C. τῇ προσπιπτούσῃ ἐπιθυμίᾳ χαρίζεσθαι. Saepissime a Platone ἡδοναὶ et ἐπιθυμίαι tamquam synonyma conjunguntur, velut Gorg. p. 484 D. 491 D. de Rep. VIII. p. 558 D. 559 C. IX. init. de Legg. I. p. 634 A. 648 A. et in aliis multis locis praesertim ubi de dominatu τῶν ἡδονῶν τε καὶ ἐπιθυμιῶν sermo est. Simul dicitur τὰς ἐπιθυμίας πληροῦν (Gorg. p. 494 C), simul ἐκπορίζεσθαι ταῖς ἡδοναῖς πλήρωσιν (ib. p. 492 A). Unde apparet in Phileb. p. 26 B: πέρας οὔτε ἡδονῶν οὐδὲν οὔτε πλησμονῶν minime opus esse emendatione Schützii scribi jubentis πέρας οὔτε κενώσεων „cum nulla sit (ut ait) oppositio inter ἡδονὴν et πλησμονήν." — Differt autem ἡδονὴ ab ἐπιθυμίᾳ, quod haec est appetitus rei jucundae (ὄρεξις ἡδέος vel potius ἡδονῆς — v. Arist. Topic. VI. 8) nondum ullam expletionem assecutus, ἡδονὴ dicitur cupiditas, quae jam in eo est, ut expleatur. — Miror, Astium in lexico Plat. de duplici vi vocis ἡδονὴ nihil monuisse, contra τῇ ἐπιθυμίᾳ notionem voluptatis ascripsisse. Hoc vocabulum nec in locis, quos affert, nec, opinor, usquam a propria sua appetendi significatione discedit.

Digitized by Google

enim ita operatur, velut in edendo, ut operatio sensum ei praebeat jucundi, quamdiu operatur, itaque voluptatem percipit, semper simul sentit se nondum expletum esse et cupit, ut operatio jucunda continuetur desideriumque naturae magis magisque expleatur, ergo appetit voluptatem (nisi forte mens cupiditatem reprimit). Quamdiu voluptas percipitur, tamdiu manet cupiditas; qua expleta una desinunt voluptas et appetitio [25]). — Non opinor hanc operationis vim ejusque cum voluptate necessitudinem, quam apud Aristotelem subtilissime explicatam invenimus, a Platone penitus perspectam esse, sed attuli haec, ut demonstrem, recte eum fecisse, quod illum connexum perceptionis cum appetitu voluptatis, jam ab ipsa lingua quodammodo indicatum, in judicio de voluptate ferendo spectaverit.

Quem mihi videtur Plato nostro loco ob oculos habuisse, et quum, eam esse naturam voluptatis, ut sensui expletae cupiditatis semper adjunctus sit appetitus continuatae vel novae expletionis, voluptatem igitur sibi ipsam nunquam finem et modum ponere, intellexisset, eidem infinitatis notam attribuisse [26]). Iam quis non videt, optime omnia de infinito dicta in voluptatem quadrare? Ubicunque voluptas percipitur, ad finem quendam perventum est, semper autem simul alius finis appetitur, ita ut in voluptate per se nullus sit modus, sed motio quaedam continuata et perennis, quae semper aliquid extra se habet, quo tendit, neque unquam per se ipsam finitur [27]).

25) Eum solum, ait Socr. in Gorg. p. 497 A, qui sitiat, voluptatem percipere in bibendo, una igitur cum siti vel appetitu bibendi restingui voluptatem.

26) Appetitum esse natura sua infinitum, et ipse Aristot. dicit. Polit. II. 7 p. 1267 B 2: *ἄπειρος ἡ τῆς ἐπιθυμίας φύσις.* Quam arctum connexum idem inter appetitum et voluptatem esse statuerit, cognoscas e libr. III. de Anima c. 2. §. 2, ubi cfr. Trendelenb. Vid. etiam ib. II. 2, 8.

27) V. p. 24 D: *προχωρεῖ ἀεὶ καὶ οὐ μένει.* p. 31 A: *ἡδονὴ δὲ ἄπειρός τε αὐτὴ καὶ τοῦ μήτε ἀρχὴν μήτε μέσα μήτε τέλος ἐν ἑαυτῷ ἀφ' ἑαυτοῦ ἔχοντος μηδὲ ἕξοντός ποτε γένους.* — Non nego, *τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον*, quae suscipiat voluptas, etiam ad graduum diversitatem referri

Digitized by Google

Vita igitur, in qua solae voluptates et libidines regnant, semper insatiabili appetitu ducitur ostenditque quasi illum Danaidum infinitum hauriendi et infundendi laborem (vid. Gorg. p. 493).

In his, quae exposuimus, tota fere jam adumbrata jacet Platonis de voluptatis natura sententia. Quam ut clariore etiam in luce ponamus, jam sequamur Socratem in Philebo quaerere instituentem, ubi et quomodo voluptas oriatur (*ἐν ᾧ τέ ἐστι καὶ διὰ τί πάθος γίγνεται, ὁπόταν γίγνηται* — p. 31 B).

Id, in quo cernuntur voluptates, pertinet ad genus illud rerum ex conciliatione infiniti et finientis generatarum, *τὸ κοινὸν* vel *τὴν μικτὴν καὶ γεγενημένην οὐσίαν* (p. 27 B). In corporibus enim animantium, in quibus infinitas caloris et frigoris, siccitatis et humoris, ceterorumque elementorum certa ratione et lege astricta est ad temperationem quandam et partium congruentiam, quae ipsam corporis naturam efficit [28]); sedem quasi suam et originem omnis et voluptas et dolor habent. Hic oritur, ubi naturalis illa harmonia turbatur vel solvitur, voluptas autem, ubi ea restituitur et in statum suum naturalem revertitur [29]). — In restitutione igitur status cum natura convenientis Plato cernit naturam voluptatis [30]). Quum

posse; quod ipse facit Plato p. 41 E. Sed tum infinitatis notio non illo stricto sensu accepta est, quem optime sic expressit Arist. Phys. III. 6. p. 206 A 27: *ὅλως οὕτως ἐστὶ τὸ ἄπειρον, τῷ ἀεὶ ἄλλο καὶ ἄλλο λαμβάνεσθαι· καὶ τὸ λαμβανόμενον μὲν ἀεὶ εἶναι πεπερασμένον, ἀλλ' ἀεί γε ἕτερον καὶ ἕτερον.* ib. p. 207 A 1: *οὗ ἀεί τι ἔξω ἐστί, τοῦτο ἄπειρόν ἐστιν.*

28) V. p. 29 A D. 32 A. Sympos. p. 188 A. cf. Arist. Phys. VII. 3: *τὰς τοῦ σώματος (ἀρετάς), οἷον ὑγίειαν καὶ εὐεξίαν, ἐν κράσει καὶ συμμετρίᾳ θερμῶν καὶ ψυχρῶν τίθεμεν* (nos sc. Platonici, in quorum numero Arist. se hoc modo saepius refert).

29) P. 31 D: *λέγω τῆς ἁρμονίας μὲν λυομένης ἡμῖν ἐν τοῖς ζώοις ἅμα λύσιν τῆς φύσεως καὶ γένεσιν ἀλγηδόνων ἐν τῷ τότε γίγνεσθαι χρόνῳ. — πάλιν δὲ ἁρμοττομένης τε καὶ εἰς τὴν αὑτῆς φύσιν ἀπιούσης ἡδονὴν γίγνεσθαι λεκτέον, εἰ δεῖ δι' ὀλίγων περὶ μεγίστων ὅ τι τάχιστα ῥηθῆναι.*

30) Cf. Tim. p. 64 D — 65 B. 81 E: *πᾶν τὸ μὲν παρὰ φύσιν ἀλγεινόν, τὸ δ' ᾗ πέφυκε γιγνόμενον ἡδύ.*

Digitized by Google

vero passim ita de voluptate loquatur, ut ipsam restitutionem naturae dicere videatur voluptatem, ad eum pertinere videtur, quod Aristoteles Eth. Nicom. X. 2. p. 1173 B 9. huic definitioni opponit. Si enim, inquit, voluptas esset repletio (ἀναπλήρωσις) corporis, id quod repletur, corpus, voluptatem perciperet; non vero haec ipsa est repletio, sed oritur ex repletione corporis, qua facta animus laetatur. At primum bene observandum est, Platone in ascripto Philebi loco, ubi brevissime et, ut videtur, maxime distincte, quid de natura voluptatis sentiret, enuntiare voluit, nihil dicere, nisi voluptatem una cum restitutione harmoniae et regressione corporis in pristinum statum oriri. Tum si universam dictionis Platonicae inconstantiam reputaverimus [31]), cujus exemplum est, quod modo sitis ipsa φθορὰ et λύπη et κένωσις appellatur (p. 31 E 35 B) modo ἐπιθυμία πληρώσεως (p. 34 E), verba neque in iis locis nimis premamus, ubi mentio fit voluptatis, quasi ipsa sit πλήρωσις (p. 31 E), vel ὁδὸς sive ἀναχώρησις εἰς οὐσίαν (p. 32 B). Expletio corporis vel restitutio naturae revera Platoni non ipsa voluptas, sed ejus fons et causa esse videtur, nam in initio Philebi omnem voluptatem dicit esse ἕξιν ψυχῆς καὶ διάθεσιν, et disertis verbis p. 55 A, voluptatem nusquam esse nisi in animo, docet. Eandem etiam ob causam medium statuit esse quendam statum inter voluptatem et dolorem, quum corporis quidem natura in perpetua fluctuatione semper aut turbetur aut restituatur, ex vehementi autem sola mutatione, quae animum moveat, voluptas dolorve oriatur (p. 43). Non igitur Plato in eorum numerum referendus est, quos voluptatem ἀναπλήρωσιν dixisse Aristoteles narrat, sed ex illius sententia voluptas est animi quidam sensus, sensus scilicet vel perceptio repletionis cujusdam vel restitutionis — αἴσθησις τῆς ἀναπληρώσεως. Ut ipse hoc claris verbis non enuntiaverit, inde factum esse videtur, quod universa ejus disputatio ad eam tantum quaestionem spectat, utrum omnes, an paucae tantum voluptates, an

31) V. Hermann Gesch. u. Syst. der Plat. Philos. I. p. 403 sq.

Digitized by Google

stultae bonae sint (cf. p. 32 D). Quoniam vero discernere eas, et quatenus bonae sint, examinare non licet, nisi ex fontibus earum iisque rebus quae sensum jucundum excitant, Plato rectissime id solum egit, ut, quae essent res jucundae, explicaret. Res jucundas, velut esum, potum, non ipsas esse voluptatem, sed hanc esse earum sensum et perceptionem, id quod per se patet, minime Plato mihi videtur ignorasse [32]. Ubi igitur accuratius loquitur, non dicit, repletionem sive actum replendi esse *ἡδονήν*, sed (de Rep. IX. p. 585 D) *τὸ πληροῦσθαι τῶν φύσει προσηκόντων ἡδὺ εἶναι* [33].

Duplex vero est ratio (sic enim pergit in Philebo disputatio, cujus summam hic referimus), qua jucunda restitutio naturae percipi potest. Nam aut desiderium naturale vere expletur et corpus ipsum sic afficitur, ut simul animus tangatur

32) Theaet. p. 156 B. voluptas et dolor aeque ac visus, auditus, olfactus *αἰσθήσεις* appellantur. Est sane, ut visus perceptio coloris, sic voluptas perceptio rei jucundae — *αἴσθησις τοῦ ἡδέος*. Ipsa autem *αἴσθησις*, velut visus, potest interiore sensu percipi, atque hac ratione rursus *αἰσθητὸν* esse, et, quum in visu quaedam restitutio vel expletio naturalis desiderii inest, hic est res jucunda, cujus perceptio est voluptas.

33) Quum saepe minus accurate locutus sit, facile fieri potuit, ut Platonici, magis verba quam sensum magistri apprehendentes, ipsa naturae restitutione voluptatem a Platone definitam esse putarent. Ea certe definitio, quae refertur et impugnatur in Ethic. Nicom. VII. c. 12 et 13, quaque dicitur voluptas *γένεσις εἰς φύσιν αἰσθητή*, prorsus tali similis esse nobis videbitur, qualem discipuli e magistri scriptis limatam verbis definiendi rationem minus curantibus in scholarum usum excerpere solent, si eos locos comparaverimus, ubi a Platone voluptas et in universum *γένεσις* (p. 53 C) et *ἀναχώρησις* sive *κατάστασις εἰς οὐσίαν* sive *εἰς φύσιν* (p. 32 B. 42 D) appellata et dictum est, ubicunque haec generatio voluptatem praeberet, oportere ea esset sensu percepta. Quum inde colligebant Platoni, voluptatem esse generationem status naturalis sensu perceptam, effectum non separaverunt a causa. Quem errorem Aristot. notavit Topic. VI. 6. *οὐ γάρ ἐστιν*, inquit (p. 145 B 12), *ἀλγηδὼν ἡ διάστασις τῶν συμφύτων μερῶν (μετὰ βίας), ἀλλὰ ποιητικὸν ἀλγηδόνος*.

Digitized by Google

affectionemque sentiat, aut nulla corporis affectione vere facta animus per se solus sibi fingit restitutionem naturae fictamque percipiens laetatur. Alterum igitur genus voluptatum oritur ex corporis affectione animum movente, quae αἴσθησις vocatur [34]), alterum est earum, quae in solo animo sitae sunt atque e δόξῃ, scilicet ex cogitatione aut praeteritae alicujus aut futurae expletionis percipiuntur (p. 32 C — 36 B. cf. p. 39). Quum vero cogitationes sive opiniones falsae sint, ubi ea, quae non vere sunt neque erunt, esse aut fore opinamur, quaestio est, sintne eae voluptates, quae e vana spe omnibusque falsis opinionibus percipiuntur, falsae necne. Protarchus contra monet, etiamsi opinio, ex qua voluptas oriatur, falsa sit, tamen voluptatem nunquam falli, sed si vere percipiatur, verum esse. Recte ille quidem, si sola ipsa animi gaudentis affectio laetitiaeque sensus spectatur. Etsi enim id, quod voluptatis fons est eamque excitat, falsa opinio est de re aliqua jucunda, quae aut omnino non est neque fuit neque erit (p. 40), aut non revera tam jucunda est, quam ea cum aliis comparata fortasse videtur (p. 41 A — 42 B), tamen haec opinio est revera; voluptatem autem ex eo, quod revera sit, perceptam, sicut opinionem vera opinantem, rectam veramque esse ipse Socrates concedit (p. 37 E). Hic vero non solum animi sensum respicit, sed in fontes causasque voluptatum inquirit, ut (sicuti modo dixi) cognoscat, quae res vere jucundae sint, et quae ratio inter id, quod vere jucundum sit, et bonum intercedat. Opinio de re aliqua jucunda

---

34) Quod hoc proprio sensu αἴσθησις nominatur, differt ab eo, quod nos supra αἴσθησιν appellavimus. Quum enim dicebamus, voluptatem esse αἴσθησιν τοῦ ἡδέος, hanc vocem sensu generaliori usurpavimus, quo significat quamque animi perceptionem et affectionem, sive per sensus sive per aliquam cogitationem fiat. Quod hoc loco αἴσθησις appellatur, rursus nihil est nisi quod excitat voluptatem. Voluptas enim est perceptio aut αἰσθήσεως aut δόξης τινὸς (die Empfindung einer sinnlichen oder einer rein pshychischen Affection). Platonem etiam hunc interiorem sensum (die Empfindung) αἴσθησιν appellasse, apparet ex Charmid. p. 159 A.

Digitized by Google

tum solum vere jucunda est, quum ipsa res, quam quis opinatur, est vere jucunda. Quapropter, etiam ut dijudicari possit, utrum voluptas ex aliqua opinione percepta vera sit an falsa, quaerendum est, quid sit vere jucundum. Quo explorato clariore etiam ratione et magis propria (ἔτι μᾶλλον) apparebit, quae voluptates sint falsae (p. 42 C). Iam igitur transit Plato a voluptatibus, quae e falsis opinionibus de rebus non vere jucundis oriuntur ideoque ipsae falsae sunt, ad res ipsas, quae aut opinione et cogitatione aut ipso sensu perceptae excitant voluptates, considerandas, quatenus pro vere jucundis possint haberi.

Esse autem res jucundas, quae suaviter sensum moveant, Plato adversum eos defendit, qui omnem voluptatem una vacuitate doloris contineri statuentes, quaecquae animum afficerent, nihil esse nisi aut molesta aut non molesta judicabant. Contra illi placuit, aliud esse gaudere, aliud non dolere. Tres enim sunt, inquit, status: unus molestus, quum turbationem nostrae naturae sentimus: alter non molestus, quum nulla neque jucunda neque injucunda corporis mutatio percipitur: tertius denique jucundus, quem isti negligunt, quum restitutio naturae nos non solum non dolore sed voluptate afficit. Verumtamen qui voluptatem in liberatione molestiae collocant, eorum sententia quadam ratione est approbanda et laudanda (p. 44). Quam quum inde collegisse videantur, quod animadverterant, vehementissimas quasque voluptates ibi sentiri, ubi maxima naturalis harmoniae solutio vehementissimumque desiderium antecessisset, ipsa igitur molestiae detractione effici, de his quidem recte judicaverunt. Nam revera illae vehementes corporis affectiones, quae pro jucundis habentur, semper una in se continent repletionem et nondum perfectae repletionis sensum injucundum [35], nunquam igitur non sunt cum doloribus copulatae, ac licet tum, quum voluptas dolore praevaleat (p. 47), jucundissimae esse videantur, tamen

---

35) Cfr. Gorg. p. 497 A. Cujus sensum sitis restinctio suaviter movet, is simul ex siti dolorem e bibendo voluptatem percipit.

Digitized by Google

nihil sunt nisi privationes quaedam dolorum, itaque non vere jucundae [36]). — Nec plus veri inest voluptatibus, quaecunque doloris aliquid habent admixtum. Cujus generis sunt praeter illas in corporis mutationibus sitas tum eae, quae e sensu vacuefacti et male affecti corporis atque exspectatione repletionis mixtae sunt, tum quae velut ex ira, amore, aemulatione, in uno animo ita existunt, ut simul cum delectatione adsit aliqua aegritudo.

At vero (sic enim Plato disserere pergit p. 51 A) praeter has mixtas ideoque minus veras voluptates aliae etiam sunt purae et immixtae, quae non in amotione doloris cernuntur [37]), sed, quum eas nihil molestiae neque antecedat neque consequatur, ipsae omni dolore immunes sunt et ex omnibus iis rebus percipiuntur, quae post indigentiam non sensam neque molestam afferunt repletionem quandam, quae suaviter sensum movet, et pura est ab dolore [38]). Iam enumerans

---

36) De Rep. IX. p. 584 C: *αἱ διὰ τοῦ σώματος ἐπὶ τὴν ψυχὴν τείνουσαι καὶ λεγόμεναι ἡδοναί, σχεδὸν αἱ πλεῖσταί τε καὶ μέγισται, τούτου τοῦ εἴδους εἰσί, λυπῶν τινες ἀπαλλαγαί.* cfr. ib. p. 586 A — C. Similiter Phaedrus, juvenis *φιλόλογος*, in dialogo ipsius nomine inscripto (p. 258 E) dicit, corporis voluptates omnes fere esse tales, quae, nisi dolorem sequantur, nullae sint — *ὧν προλυπηθῆναι δεῖ ἢ μηδὲ ἡσθῆναι.* Cfr. Phaedo p. 60 B C.

37) De Rep. IX. p. 584 C: *μὴ πειθώμεθα καθαρὰν ἡδονὴν εἶναι τὴν λύπης ἀπαλλαγήν.*

38) Veras voluptates, ait Socr. p. 51 B, esse *τὰς περὶ ὅσα, τὰς ἐνδείας ἀναισθήτους ἔχοντα καὶ ἀλύπους, τὰς πληρώσεις αἰσθητὰς καὶ ἡδείας καθαρὰς λυπῶν παραδίδωσιν* — ex quibus verbis Stallbaumio *καθαρὰς λυπῶν* tamquam glossema ejici jubenti minime assentior, et corruptum esse locum, quod qui non videat, necesse esse, ait ille, coecus sit, prorsus nego. Quandoquidem enim omnis voluptas e vacuitatis cujusdam repletione oritur, purae ac verae voluptates comparebunt, ubicunque vacuitates adsunt quidem, non vero sensum movent ideoque a dolore alienae sunt, *ἀναίσθητοι καὶ ἄλυποι*, eaeque ita replentur, ut repletio sensu percipiatur et ita jucunda sit, *αἰσθητὴ καὶ ἡδεῖα.* Hae voces eadem ratione epexegesis gratia sunt conjunctae, qua vacuitates *ἀναίσθητοι καὶ ἄλυποι* dictae sunt. Vacuitatem enim sive indigentiam, quae non

Digitized by Google

ea, quae has puras et veras voluptates exhibeant, vere igitur sint jucunda, Plato primum dicit visum figurarum, quae non modo, quatenus ad alias referantur, videantur pulchrae, sed semper per se et ad naturam ipsius pulchri relatae pulchrae sint: deinde visum colorum itidem pulchrorum: tum auditum pulchrorum sonorum: tum addit perceptiones suavium odorum, quae, quamquam minus divinae, tamen a dolore purae ideoque dignae sint, quae verarum voluptatum fontibus annumerentur. Quibus immixtis voluptatibus denique ait adjiciendas esse omnes e discendo studioque disciplinarum haustas, quippe quas nulla injucunda desideria neque antecedant neque scientia amissa sequantur.

Iam si respicimus ad definitionem illam, qua voluptatis natura in expletione naturalis desiderii et restitutione status cum natura convenientis posita est, quaeritur, num eandem ad puras quoque voluptates pertinere Plato voluerit. Aristoteles quidem (Eth. Nicom. X. 2. p. 1173 B 13) censet ductum esse hoc de voluptatis natura judicium ex edendi et potandi jucunditate; animi voluptates e disciplinis, olfactu, auditioni-

sentiatur, molestam non esse, proprie est supervacaneum monere. Item, quaecunque repletio sensum afficiat, eam jucundam esse, per se quidem patet, additur autem, ut ad hoc ipsum animus diligentius attendatur. (Quapropter neque assentior Schleiermachero et Astio, qui, ut ἡδείας exterminetur, suadent, nisi volunt καὶ ἀλύπους quoque extingui). Verum etsi qua repletio jucunda est, tamen dolorem potest habere admixtum, sicut sitis expletio jucunda quidem est, sed non a dolore pura, ideoque non vere jucunda. Qua de causa prorsus necessario monetur, veras voluptates ex iis tantum expletionibus percipi, quae purae sint a doloribus, καθαραὶ λυπῶν. Quod nisi additum esset, verae voluptates non satis ab impuris distinguerentur; nam hae quoque oriuntur ex iis rebus, quae praebent expletiones sensum moventes et jucundas, et habere possunt suas (τὰς) indigentias non sensas, sicut omnes mixtae animi voluptates. — Nec igitur ulla ejectione, nec additione quippe particulae καὶ ante καθαρὰς inserendae (id quod olim Stallbaumio placuit), omnino opus esse, arbitror. Nam vocabula αἰσθητὰς et ἡδείας tam arcte cohaerent, ut tamquam pro uno adjectivo posita esse videantur, cui alterum non inepte ἀσυνδέτως adjicitur.

Digitized by Google

bus, aspectibus perceptas nec esse repletiones (ἀναπληρώσεις) nec ex talibus oriri. Sed tametsi repletionis notio proxime cadit in corporis voluptates, Plato eam sensu latius patente, cujus Aristoteles, ut solet, verba ad vivum resecans illo loco rationem non habet, ad veras solius animi voluptates transtulit. Dicit enim has ex omnibus redundare, quae suaviter sensum moventes repletiones (πληρώσεις — p. 51 B) afferant, loquiturque de iis, qui scientiis repleti sint (μαθημάτων πληρωθεῖσιν — p. 52 A), ita ut sensisse videatur, animi quadam repletione eas voluptates contineri, quae e discendo pulchrisque rebus percipiendis exoriantur. Clarissime hoc testatur liber IX. de Rep. (p. 585), ubi haec interrogantur. Nonne fames et sitis et similia sunt vacuitates quaedam habitus corporis? Inscientia autem et dementia, nonne haec quoque vacuitas est in animi habitu comparens? Expleaturne igitur tam, si quis cibum potumve assumat, quam si intelligentiam nanciscatur? Quibus concessis efficitur, quum verior repletio sit, quae rebus verius extantibus fiat, animum iis, quae vere sint, pulchri nempe et boni cogitationibus esse ei replendum, qui verae puraeque voluptatis velit fieri particeps.

Quod vero cum jucunda corporis repletione restitutionem harmoniae naturalis conjunctam esse Plato docuit, inde jam conjicere licet, ex ejusdem sententia et ipsum animum repletione in harmoniam quandam componi. Ac reapse, animum, qui ad ea, quae vere pulchra sint, sive sensibus sive mente concipiantur [39]), sese applicet, in harmonicum propriaeque naturae convenientem statum restitui, a Platonis doctrina minime abhorret. Quod apparet e ratione, qua ut ars musica ad puerorum institutionem adhibeatur in libris de Republica et de Legibus studiose suasit: ejus enim ope, ait (de Rep. III. p. 401 D) numerum et harmoniam jam in puerorum animos quasi infundi, atque in iis, sicut gymnicis exercitationibus in corporibus, ut singulae quaeque partes et facultates justo im-

39) Non solum, quae sub sensus cadunt, sed etiam, quae discuntur, pulchra appellantur. V. Gorg. p. 475 A. Symp. p. 210 C.

Digitized by Google

perio parentes sua munera praestent, effici, concentumque quendam generari, quo omnis contineatur temperantia et justitia. Eadem docet Timaeus (p. 47), quum et illam, quae ex audiendis sonorum concentibus in animis oriatur, institutionem ordinis et convenientiae commendat, et de pulchris motibus coelestibus disputat, quorum intuitu et imitatione nostrorum animorum motus in pulchrum ordinem redigantur. Clarissima autem lux omnibus his ex iis affunditur, quae de animi humani natura in Phaedro non minus philosophice quam poëtice exposita sunt. Omnis enim hominis animus secundum hanc doctrinam natura sua spectavit ea, quae vere sunt (p. 249 E), ac sicubi in hac terrestri vita singulas res pulchras invenit, illius vere pulchri, cujus aspectu pridem in coelo gaudebat, recordatur simulque alas suas in delapsu amissas h. e. meliorem naturae suae propriam conditionem reficit, quod ubi fit dulcissima fruitur voluptate [40]. Quanto enim praestet animus corpori, tanto dulciores voluptates ex animi in naturam suam restitutione perceptae, quam eae sint necesse est, quae ex corporis refectione oriantur. Reducitur autem animus in pristinum statum per contemplationem omnemque a corporis cupiditate et dolore alienam perceptionem rerum pulchrarum, quam quum animo culturam aptamque temperationem afferre Platoni placeret, nihil esse voluit nisi disciplinam quandam, qua animus humanus sursum ducatur et ad ipsius pulchri, quod non sensibus percipiatur, intuitum informetur. Quisquis vero omni pulchri bonique disciplinae deditus pulchra in animum recipit, dum his eum quasi replet et nutrit [41]) restituitque in meliorem et magis naturae suae accommodatam conditionem, simul eo majorem et veriorem voluptatem sibi comparat, quo propius ad ipsius pulchri et boni contemplationem accedit.

---

40) P. 251 D: *μνήμην ἔχουσα τοῦ καλοῦ (ἡ ψυχὴ) γέγηθεν* — ib. E: *ἡδονὴν γλυκυτάτην καρποῦται.*

41) Protag. p. 313 C: *τρέφεται ψυχὴ μαθήμασιν.* De Rep. III. p. 401 E: *ὃ (ἐν μουσικῇ τραφεὶς ὡς ἔδει τὰ καλὰ ἐπαινοῖ καὶ χαίρων καταδεχόμενος εἰς τὴν ψυχὴν τρέφοιτ᾽ ἂν ἀπ᾽ αὐτῶν καὶ γίγνοιτο καλός*

Digitized by Google

Itaque ex philosophiae studio, quae est *ἡ μεγίστη μουσική* (Phaed. p. 61 A), nobilissimaeque animi facultati, qua discimus, suum quasi quoddam pabulum praebet, optimae dulcissimaeque voluptates redundant [42]. Ad animi autem perfectionem quaecunque, licet per sensus percipiantur, pertineant voluptates, solae sunt verae et purae, quia ex vacuitate sane quadam replenda sed non sensu percepta existunt, nec restituendae integritatis sensui ullum habent admixtum dolorem e deterioris status sensu orientem neque ullam desiderii molestiam.

Postquam ita ex sententia Platonis, quid jucundum, quae voluptates purae et verae sint, explicare conati sumus, jam ad ejus de jucundi cum bono necessitudine voluptatisque pretio atque ad beate vivendum momento doctrinam enarrandam transire licet. Qua in expositione primum judicia sunt respicienda, quae de alienis sententiis ita fecit, ut eas refellens suae doctrinae quoddam fundamentum substruxerit.

Sententiarum voluptariae disciplinae extrema est, quam Plato in initio Philebi Protarchum, Gorgiae auditorem, et in Gorgia Calliclem, sophisticum oratorem, (p. 495 A sqq.) defendentes induxit, voluptatem esse ipsum bonum (*τἀγαθόν*), jucundum et bonum prorsus idem esse et nihil nisi duo nomina, quibus una res declaretur (cfr. Phileb. p. 60 A). Contra hanc opinionem, secundum quam voluptas per se, etsi e variis et nonnunquam malis rebus percipiatur, semper bona esse statuitur (ib. p. 12 E), in Philebo monetur, oportere genera variique fontes voluptatum distinguantur, quum non nisi e rebus, quae efficiant voluptates, sive e rebus jucundis de voluptatum pretio liceat judicare; atque hac ipsa distinctione facta illa boni et jucundi confusio evertitur, cujus perversitas

τε κἀγαθός. Phaedr. p. 247 D: (*ἡ διάνοια*) *θεωροῦσα τἀληθῆ τρέφεται καὶ εὐπαθεῖ* — — — (E) *τὰ ὄντα ὄντως θεασαμένη καὶ ἑστιαθεῖσα κτλ.* Phaed. p. 84 A: (*ἡ ψυχὴ*) *τὸ ἀληθὲς καὶ τὸ θεῖον καὶ τὸ ἀδόξαστον θεωμένη καὶ ὑπ' ἐκείνου τρεφομένη κτλ.* Cf. de Rep. VI. p. 490 B et Cic. Acad. II. 41.

42) Vid. de Rep. IX. p. 583 A sqq.

Digitized by Google

etiam sub finem universae voluptatem tractantis disputationis breviter attingitur (p. 55). Si enim, inquit Socrates, nihil bonum esset nisi voluptas, omne bonum in animo poneretur, et in hoc ipso fortitudo, temperantia, sapientia nihil essent boni; dolore porro cruciatus malus esset, gaudens vero, quanto majori voluptate frueretur, tanto melior et praestantior [43]). — Gravissimum autem argumentum ad studiosissimos voluptatis patronos refutandos petitur ex turpibus voluptatibus [44]), quo utitur Socrates in Gorgia (p. 494), cujusque summam reddit de Rep. VI. p. 505 C. Quid? inquit, qui voluptatem definiunt summum bonum, nonne hi coguntur confiteri esse malas quasdam voluptates? Accidit igitur istis, ut confiteantur, bona et mala esse eadem. — Itaque si quae sunt jucunda, quae non bona sint, et bona quae non jucunda, nec igitur jucunditate continetur bonum, sed praeter voluptatem sunt quaedam bona, apparet, voluptatem non esse τἀγαθόν, summum bonum, quod omnia bona complectatur nec ullam accessionem requirat. Hoc ipse Protarchus, postquam perspexit, necesse esse summum bonum prorsus sufficiens et absolutum sit, praeter voluptatem autem mentem, scientiam, memoriam dignas esse quae expetantur, statim concedit [45]).

Sed alteram jam tuens sententiam contendit, voluptatem esse inter singula bona, quorum complexione absolutum illud summum bonum efficiatur, supremum et maximum

---

43) Eadem ratione in Gorgia p. 497 E. concluditur, ignavum qui gaudeat, si voluptas bonum esset, bonum fore, et quo magis discessu hostium laetaretur, eo meliorem. Alia duo argumenta, quae ibid. p. 495 — 497 afferuntur et ad corporis tantum voluptatem pertinent, hic persequi longum est.

44) Nititur simplici lege cogitandi, quae vetat de toto genere praedicari, quod in singulas species non cadat. εἴ τις ἡδονὴ μὴ ἀγαθόν, inquit Aristot. Top. IV. init., δῆλον, ὅτι οὐ γένος τὸ ἀγαθὸν τῆς ἡδονῆς.

45) Eadem argumentatione utitur Aristoteles Eth. Nic. X. 2. p. 1172 B 26 adversus Eudoxum, qui voluptatem summum bonum dixerat, quia cuipiam bonorum adjuncta illa hoc dignius expetitu redderet. Ita vero, ait ille, voluptatem juxta alia bona poni; quum

Digitized by Google

bonum (τὸ ἄριστον, μέγιστον ἀγαθόν). Socrates negat et in reliquo colloquio jam id agit, ut ostendat, voluptati palmam non esse attribuendam. Cujus demonstrationis id gravissimum argumentum esse videtur, quod p. 53 C — 55 A e natura voluptatis ducitur. Quod enim, inquit ille, elegantes quosdam homines [46]) dicere audivimus, omnem voluptatem esse generationem (ὡς ἀεὶ γένεσίς ἐστιν), utiliter est accipiendum. Omnis enim generationis finis est status (ἡ οὐσία), cujus causa fit quod generatur, sicuti navis constructio sive generatio navis fit ipsius navis causa, ut haec sit. Id autem cujus causa aliquid fit, hoc melius est — τὸ μὲν σεμνότατον ἀεὶ πεφυκός, τὸ δ' ἐλλιπὲς ἐκείνου — unde consequitur, voluptatem non esse optimum, sed praestare ei statum, cujus generatio sit voluptas. — Prorsus recte, suae certe doctrinae convenienter, haec mihi videtur argumentari. Nam non jam illa corporis aut animi repletio, vel actio redigendae naturae ad rectum statum, quae est generatio status verae corporis aut animi naturae accommodati, est optimum, sed melius est ipse hic status perfectus. Atque haec quidem, si omnis voluptas in restitutione naturalis harmoniae et generatione status harmonici ponenda est [47]), recte est ratiocinatus. Quum vero ipsam generationem dixit voluptatem, sane non recte locutus

---

igitur ei aliud bonum addi possit, eam non esse id quod maxime expetatur. Tum laudat Platonem, qui eodem argumento demonstraverit, voluptatem non esse τἀγαθόν, sine dubio respiciens Philebi locum p. 21. 22.

46) Aristippum ejusque amicos significari, conjicere licet, qui voluptatem motum quendam esse docuerunt. Vid. Introd. not. 86. Omnis enim motus est generatio, alius scilicet status. Platonem autem etiam in quodam motu voluptatem posuisse apparet ex Tim. p. 64 et loco libri IX. de Rep. mox transcribendo.

47) Siquidem voluptas est generatio et quaedam operatio ad bonum statum tendens, non inepta sunt quae dicuntur Cratyl. p. 419 B: ἡ ἡδονή, ἡ πρὸς τὴν ὄνησιν τείνουσα πρᾶξις τοῦτο ἔοικε ἔχειν τὸ ὄνομα — τὸ δέλτα δὲ ἔγκειται, ὥστε ἡδονὴ ἀντὶ ἡονῆς καλεῖται. ἥτε λύπη ἀπὸ τῆς διαλύσεως τοῦ σώματος ἔοικεν ἐπονομασθῆναι, ἣν ἐν τούτῳ τῷ πάθει ἴσχει τὸ σῶμα.

Digitized by Google

est, acerrimaeque reprehensionis ansam dedit. Nec tamen ea dignum esse nostrum philosophum judicabimus, nisi hic magis, quam illo loco, quo repletio ipsa voluptas appellabatur, verba urgere volemus. In universa de voluptate instituta disputatione non sensum jucundi spectans, sed ipsum jucundum, quod a sensu percipitur, parum accurate, consilio autem suo prorsus accommodate voluptatem ipsam dicit esse repletionem et generationem, quum revera oriatur tantum ex iis, et non voluptas sit generatio, sed id quod jucundum est voluptatisque sensum excitat. Tali accuratiori ratione loquendi ipsum Platonem usum esse videmus in verbis libri IX. de Rep. p. 583 E: *τὸ ἡδὺ ἐν ψυχῇ γιγνόμενον καὶ τὸ λυπηρὸν κίνησίς τις ἀμφοτέρω ἐστόν.* Quo jure autem omnia jucunda motus et generationes dici possint, alia est quaestio, quam infra attingemus. Hic illud solum tenemus, si id, ex quo voluptas percipiatur, semper generatio quaedam sit, effici, ut voluptas non sit omnium bonorum maximum. Nisi praestat ceteris bonis, multum etiam abest, ut sit bonum ipsum vel proprie sic dictum summum bonum. Hoc significare Plato videtur, quum statum, cujus causa aliquid generatur, *ἐν τῇ τοῦ ἀγαθοῦ μοίρᾳ* poni jubet, generationem contra ideoque voluptatem *εἰς ἄλλην μοῖραν* (p. 54 C) relegat [48]).

Etenim tertium quod de voluptatis pretio esse potest judicium eamque omnino de bonorum numero eximit [49]),

---

48) Cfr. quod dicit p. 20 C, necesse esse *τὴν τἀγαθοῦ μοῖραν τέλεον εἶναι*, et p. 60 B, *μᾶλλον μέτοχον εἶναι τῆς τοῦ ἀγαθοῦ μοίρας τὴν φρόνησιν ἢ τὴν ἡδονήν.* Neque quod ridendos esse ait (p. 54 D. coll. p. 55 A), qui dicant voluptatem esse bonum (*ἡδονὴν ἀγαθὸν εἶναι*), aliter accipio ac quasi scripserit *τἀγαθόν.* Exempla in talibus locutionibus, ubi de toto genere vel idea sermo est, omissi articuli sunt in Phileb. p. 11 A. de Rep. VI. p. 505 C. Hipp. Maj. p. 293 E, ubi plura annotavit Stallbaumius. Qui illum locum ita intelligens, ut Plato dicat, voluptatem inter bona numerari non posse neque esse bonis accensendam (v. Prolegg. p. 57), non vidisse videtur, quantopere haec sententia cum locis p. 21 E. 22 A B et p. 63 E. 64 C. discreparet.

9) Qui dicuntur Phileb. p. 44 C. censuisse, voluptati nihil ...

Digitized by Google

Platoni non probatum fuisse, quum inde apparet, quod perfectam vitam nec omni scientia nec voluptate carere posse statuit (Phileb. p. 21. 22), tum e mixtione illa bonorum, qua vitam beatam effici et voluptates quasdam non esse excludendas, in extremo Philebo docuit (vid. inpr. p. 63 E. 64 C). Voluptatem aut unice aut maxime expeti, vetuit, expetendam eam esse et bonum ac necessarium quid ad beate vivendum, non negavit [50]. Neque vero omnes voluptates sine ullo discrimine laudavit, sed eo consilio harum genera et formas acute distinxit, ut ostenderet, quae et quales voluptates essent expetendae. Rejicit omnes eas, quae infinita ratione per corpus animumque ferantur omnem aspernantes modum et legem. Quid autem docet esse id, quod voluptatibus per se infinitis nullumque finem appetendi in se gerentibus modum et finem constituat? Cognovit hoc ex consideratione purarum voluptatum. Quae quum nonnisi cum animi natura perficienda et ad pristinum verumque statum reducenda existant, haec ipsa humanae naturae perfectio est finis, qui in his voluptatibus perfruendis tam quadamtenus jam attingitur quam appetitur. Appetitio autem ista infinita, quae mixtae voluptati propter nondum repletae vacuitatis molestum sensum semper inest, in pura voluptate locum non habet. Sed quia, ubi hanc percipimus, neque antecedente neque admixto ullo indigentiae sensu id solum sentimus, animi nostri praestantiam aliquo modo auctam esse, purae voluptati nihil inest desiderii et appetitionis, sed ipse quasi suus finis. Itaque non dubito ad genus, quod Plato definit (Phileb. p. 52 C), moderatarum (ἐμμέτρων) voluptatum inprimis puras illas referre, quae una cum perfectione animi oriuntur, et quamquam non vehementissimae et plurimae tamen pulcherrimae sunt et verissimae (p. 52 D — 53 C). Hae suapte natura arctissime cum modo quodam sunt conjunctae. Nec vero corporis voluptates ab omni modo et lege sunt alie-

---

sunt sine dubio Cynici. Vid. Introd. not. 89 et Stallb. ad Phileb. p. 43 D.

50) Cf. de Legg. V. p. 732 D: ἔστι δὴ φύσει ἀνθρώπειον μάλιστα ἡδοναὶ καὶ λῦπαι καὶ ἐπιθυμίαι — κτλ.

Digitized by Google

nae, verum hae quoque possunt modi participes fieri certaque lege astringi. Quae quum ab ipsa vera humana natura restituenda vel assequenda iis praescribatur, corporis cupiditates et ex earum expletione orientes voluptates non extinguendas esse censet Plato, sed ita coërcendas, ut serviant fini, qui homini propositus sit et maxime in animi cultura cernatur: quatenus ad hunc assequendum necessariae sint, et corporis animique sanitatem non turbantes universam hominis perfectionem quasi comitentur, minime spernendas esse, sed, utpote finitas et moderatas, perfectae et beatae vitae compositioni admiscendas [51]). Ac si omnes voluptates in motu et quadam generatione collocantur, eae sunt laudandae, quae e generatione recti et optimi status percipiuntur. Nihil autem infiniti et immoderati ad hunc finem non spectantis ullum habet locum in vita beata, quae tota ad unum certum modum et ordinem est composita. — Quid vero est id, quod hunc modum vitae impertit hominisque consilia et appetitus recte ordinat ac moderatur? Hoc est munus mentis et scientiae, quae eam ob causam non minus quam voluptas ad summi boni adeptionem afferre momenti recte dicitur. Quam qualemque Plato voluerit esse hanc scientiam ad beate vivendum necessariam, nunc nobist est investigandum.

---

51) Phileb. p. 63 E: (τὰς) ἡδονὰς ἀληθεῖς καὶ καθαράς, ἃς εἶπες, σχεδὸν οἰκείας ἡμῖν νόμιζε, καὶ πρὸς ταύταις τὰς μεθ' ὑγιείας καὶ τοῦ σωφρονεῖν, καὶ δὴ καὶ ξυμπάσης ἀρετῆς ὁπόσαι καθάπερ θεοῦ ὀπαδοὶ γιγνόμεναι αὐτῇ ξυνακολουθοῦσι πάντῃ, ταύτας μίγνυ. In Gorgia, postquam Callicles concessit, alias voluptates esse malas alias bonas, eae tantum bonae et expetendae dicuntur, quae tales sequantur cupiditates, quales quum expleantur corpori sanitatem vel robur afferant vel aliam ejus virtutem efficiant (p. 499 D), atque omnino hominem reddant meliorem (p. 503 C). De Rep. VIII. p. 558 D sq. distinguuntur necessariae et non necessariae cupiditates. Has esse, quantum fieri possit, extinguendas, — illas vero esse et tales, quales depellere nequeamus, et quae expletae nobis fructum et salutem ferant: — τούτων ἀμφοτέρων ἐφίεσθαι ἡμῶν τῇ φύσει ἀνάγκη.

Digitized by Google

Cap. III.

Accedentes ad Platonis de scientiae vi et natura sententiam explicandam non in animo habemus universam ejus de cognoscendi rationibus doctrinam exponere, quod a consilio nostro alienum est. Relinquimus totam, quam vocant, formalem hujus doctrinae partem in via et ratione, qua quid cognosci possit, exploranda versantem. Id ipsum, quod cognoscitur, hic solum spectamus, ut inveniamus, cujus rei cognitione ad bene beateque vivendum opus esse visum sit Platoni. Qui ipse nobis hanc viam monstravit. Nam sicut in Philebo, ubi quaestio nostra de summo bono tractatur, de voluptate ita disserit, ut non in rationem, qua quid jucundi percipiatur, sed in res ipsas jucundas inquirat, sic ibidem non, id quod in Theaeteto fecit, a fonte cognoscendi proficiscens cognitionis formas perlustrat, sed res solas, quae, ut summum bonum adipiscatur, homini mente ac cognitione assequendae sint, investigat (inde a p. 55 D).

Orditur a rebus sub sensus subjectis, in quibus nulla est constantia neque stabilitas. Quam ob causam cognitiones, quae ad has solas spectant, parum firmitatis et veritatis habent; cujus generis est musica, quae inscia numerorum harmonicorum et mensurae, secundum quam fides movendae sint, hanc incerta conjectura et usu exercitatione collecto assequi studet, item medicina, agricultura, ars gubernatoria et imperatoria. Quae omnes artes eatenus tantum aliquid veri in se habent nomineque artis dignae sunt [52]), quatenus ad numerorum et mensurarum, quibus rerum formae motuumque leges continentur, cognitionem ascendunt. Certiores igitur sunt eae artes et disciplinae, quae, velut architectura, in rebus aspectabilibus quidem tractandis versantur, simul autem harum stabi-

---

52) Τέχνη et ἐπιστήμη non separantur a Platone (neque a Socrate — vid. Herrmann Gesch. d. Plat. Philos. lib. III. not. 264). Unaquaeque scientia in arte aut disserendi aut aliquid faciendi se manifestat, et quae ars scientia caret, nulla est. Vid. Phileb. p. 19 D. 55 E. 57 E. 58 B. de Rep. VII. p. 533 B. Gorg. p. 463. 465 A.

Digitized by Google

libus formis et rationibus aliquatenus cognitis utuntur. In his enim rebus ab omni mutatione alienis plus inest veritatis; quocirca, quae eas solas spectant, artes mathematicae propius ad veram accuratamque cognitionem et scientiam accedere dicendae sunt, praesertim si non in formis et numeris, qui in singulis rebus expressi cernuntur, considerandis subsistunt, sed puras per se formas abstractasque a sensibus omnes quantitatis rationes et mensuras contemplantur. Ceterae ante memoratae artes ad vulgares vitae necessitates pertinent, haec autem philosophice h. e. cognoscendi causa tractata disciplina mathematica ad eruditionem solam animique cultum refertur. Nec tamen in hoc genere mathematica scientia jam summa et praestantissima est. Sed omnes artes et disciplinae longissime superantur ab ea scientia, quae id, quod vere est semperque sibi constat, cognoscit, nullisque adhibitis sumtionibus ipsa ea perscrutatur, quae omnis et essentiae et cognitionis principia in se continent. Praeter res igitur sensibus subjectas et eas, quas disciplinae mathematicae spectant, aliae sunt res ratione stabilissima et purissima per se extantes ideoque accuratissimam et verissimam praebentes scientiam, quam nos nominamus philosophiam et Plato ponit in facultate quadam disserendi (*δυνάμει τοῦ διαλέγεσθαι* — Phileb. p. 57 E de Rep. VII. p. 532 D — sive *διαλεκτικῇ* — ib. p. 533 C); atque ita jam, quaenam

53) Sic in Philebo clarissime tria illa rerum genera significantur, quae Platonem statuisse Aristoteles dicit. Vid. Metaph. A, 6: *παρὰ τὰ αἰσθητὰ καὶ τὰ εἴδη τὰ μαθηματικὰ τῶν πραγμάτων εἶναί φησι μεταξύ, διαφέροντα τῶν μὲν αἰσθητῶν τῷ ἀΐδια καὶ ἀκίνητα εἶναι, τῶν δ' εἰδῶν τῷ τὰ μὲν πολλ' ἄττα ὅμοια εἶναι, τὸ δὲ εἶδος αὐτὸ ἓν ἕκαστον μόνον.* Cf. Z, 2. al. Hoc, quod saepe ab Aristotele tamquam numeris mathematicis proprium memoratur, in iis nullam unitatem discrepare ab alia (v. Metaph. M. 6: *ἐν τῷ μαθηματικῷ οὐδὲν διαφέρει οὐδεμία μόνας ἑτέρα ἑτέρας*) ab ipso Platone hoc loco (p. 56 E) enuntiatur. Cfr. de Rep. VII. p. 526 A. Alteri numeri, qui unitates impares habent (velut si bina castra, duo boves numerantur — Phileb. p. 56 D) sunt, quos nominat Aristot. Metaph. A. 8 fin. N, 3 p. 1090 B 36, *ἀριθμοὶ αἰσθητοί.*

Digitized by Google

sint illae ab ea tractatae res immutabiles, sempiternae, nunquam neque ortae neque interiturae, significatur. Quae significatio in Philebo quidem non plenioribus verbis facta est, a nemine autem desiderabitur, qui, quomodo ab illo antea jam, inprimis in Phaedone, ideae descriptae sint, meminerit [53]). Quae sunt rerum notiones, quae ipsis rebus priores aeterno per se constant et tamquam imagines et exemplaria rerum mentis oculis cernuntur. Eae solae vere sunt, nec modo ante singulas res subsistunt sed etiam ante mentem humanam. Non enim sunt, quia ab homine cogitantur, sed quatenus sunt, eatenus cogitantur. Quaecunque vero res in hoc mundo aspectabili versantur, sunt quidem, sed simul quodammodo non sunt, quippe quae ad eorum, quae sunt, similitudinem conformatae sint, hanc autem imitatione nunquam perfecte assequantur. — Plura de his rebus vere extantibus omnibusque iis, quae artibus et disciplinis tractandae et cognoscendae sint, in librorum, quos sine dubio post Philebum de Republica Plato scripsit, quinto et sexto et septimo disputata leguntur. Quae omnia quidem ad ea fere redeunt, quae modo a nobis de tribus generibus rerum exposita sunt, de tertio autem genere, quod aeternas per se constantes res complectitur, nova et ad universam libelli nostri quaestionem gravissima continent. Describitur enim ibi id, quod verissima scientia perspici omniumque rerum intelligibilium summa et praestantissima (μέγιστον μάθημα) esse dicitur, et quale Plato esse voluerit, quanta possumus diligentia debemus explicare.

Sunt quidem de Platonica idea boni (nam de hac loquor) quum antiquis temporibus, maxime ab recentioribus, quos vocant, Platonicis, tum nostra aetate tam multa scripta et in varias partes disputata, ut verendum sit, ne, si nostram disputationem prioribus adjunxerimus, ligna tulisse in silvam videamur. Sed si in Platonis de summo bono sententia illustranda neglexissemus ideam boni, profecto caput quasi deesset dissertationis corpori. Qua de causa nostra quoque in medium proferenda est de illius ideae vi et natura sententia, quam et ipsi e Platonis verbis atque universi systematis nexu nulla

Digitized by Google

praejudicata ducti opinione petiisse nobis videmur, atque hoc loco brevitatis causa aliorum doctiorum virorum [54]) sententias neque laudantes neque directo impugnantes conabimur exponere.

Uti initio monuimus, verbo boni semper inest notio finis et consilii. Id enim est alicui bonum, quod ad finem suum perventuro expetendum est, et quatenus quis pervenit ad finem ab ipsius natura et notione propositum, eatenus est bonus. Quoniam autem singulae res ab aliis sunt separatae et suos quaeque habent peculiares fines, diversa esse videntur et ea, in quibus cernatur earum bonitas, et ea, quae in hanc unamquamque deducant. Sane, sed esse potest finis quidam, quo communiter tendunt, quia singulares earum fines huic sunt subjecti: ac si unum ponimus finem, qui omnium rerum singulos fines complectatur, summus et ultimus hic erit, ad quem omnia singula referuntur, ipse autem nusquam. Communis hic totius rerum universitatis finis, ad quem si perventum esset, omnia forent bona, est id quod omnibus bonum est et a Platone ipsum bonum (*τἀγαθόν, αὐτὸ τὸ ἀγαθόν*) vel idea boni (*ἡ ἰδέα τοῦ ἀγαθοῦ*) appellatur. Non enim opinatur, quaecunque in hoc mundo sint res, eas ita esse disjunctas et per se constantes, ut suum quaeque solum sequatur peculiarem finem, sed persuasum sibi habens, in rerum universitate omnia ab una mente esse ordinata et disposita certaque ratione regi atque administrari [55]), unum statuit esse consilium, quo omnia

---

54) Quorum nomina et de ratione inter ideam boni et deum intercedente judicia qui cognoscere vult, inspiciat inprimis doctissimas C. F. Hermanni „Vindicias disputationis de idea boni apud Platonem." (Marb. 1839. 4).

55) Praeclare hanc sententiam elocutus est in Gorg. p. 507 E. et in Phileb. p. 28. Item Aristoteles Metaph. *Λ*, 10: *πάντα συντέτακταί πως*, inquit, — — *καὶ οὐχ οὕτως ἔχει, ὥστε μὴ εἶναι θατέρῳ πρὸς θάτερον μηδέν, ἀλλ᾽ ἐστὶ πρός τι. πρὸς μὲν γὰρ ἓν ἅπαντα συντέτακται*, ibique sub fin: *εἷς κοίρανος*. — In memoriam revocandae sunt hoc loco notiones, quas in Introd. cap. I. explicavimus. Ipsum bonum sive idea boni (*τἀγαθὸν*) est finis universitati rerum

Digitized by Google

gerantur, unum igitur finem, quo omnia tendant. Itaque bonum de Platonis sententia nihil vere est nisi communi huic vero consilio respondens, quin potius quidquid est eatenus tantum vere est, quatenus ad illud est accommodatum. Quapropter omnium rerum sub sensus cadentium nulla est perfecte bona, quia non talem se praebet, qualem summi finis ratio eam esse postulat, nec vero absolute mala, quia nihil esse potest, quod ab omnibus communis consilii rationibus prorsus sit alienum, ideoque omnes hae res neque vere sunt neque omnino non sunt (vid. de Rep. V. p. 477 sqq.). Quum autem id quod non est cognosci nequeat, quaecunque sunt, eatenus tantum possunt intelligi, quatenus vere sunt i. e. quatenus conveniunt communi fini. Huic vero id convenit, quod ad suum proximum finem prorsus accommodatum est, nam ita tantum communis omnium rerum finis attingitur, si singulae res tales sunt, quales secundum suam quaeque naturam esse debent. Quum autem natura uniuscujusque rei et finis in idea ejus cernatur, nihil aliud vere est vereque cognoscitur nisi ideae, quae solae boni ideae, omnium idearum quasi centro, perfecte respondent. Tali ratione idea boni, quae est communis ille finis, quem omnes res natura sua quasi aspectant et appetunt, fons et principium est omnis tam essentiae quam cognitionis, atque aptissime comparatur (de Rep. VI. p. 507 sqq.) cum sole, qui non modo efficit, ut res aspectabiles visu possint cognosci, sed etiam ut existant. Ut nulli ideae, sic ne ideae boni quidem ulla inest vis movendi, creandi, sed quia quaequae creata sunt, secundum eam sunt facta nec ullo alio modo sunt nisi quo concordant cum ipso bono, omnium rerum fine, nihil autem, nisi quod est, potest cognosci, rectissime dicitur idea boni et rebus veritatem et hominibus facultatem cognoscendi afferre et praebere [56]).

---

propositus; summum humanum bonum (τἀγαθὸν alio sensu dictum) est finis h o m i n i propositus.

56) P. 508 E: τὸ τὴν ἀλήθειαν παρέχον τοῖς γιγνωσκομένοις καὶ τῷ γιγνώσκοντι τὴν δύναμιν ἀποδιδόν, τὴν τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέαν φάθι εἶναι, αἰτίαν δ' ἐπιστήμης οὖσαν καὶ ἀληθείας. VII. p. 517 C: αὐτὴ

Digitized by Google

Ipsa vero boni idea, quippe principium omnis verae essentiae et cognitionis, utraque est prior et superior [57]). Quidquid enim est, ut diximus, ea tantum ratione est, qua cum idea boni convenit: qui igitur ipsa haec **esse** dici potest, quae ad nihil aliud refertur neque, quum absoluta quaedam unitas sit, secum ipsa potest convenire? Nec ipsa per se sola potest cognosci, sed sic tantum, quemadmodum in singulis iis, quae sunt, expressa est. Quaequae cognoscimus, discreta sunt, cogitatione autem comprehenduntur et in unitatem rediguntur; ipsa unitas sola ab omni discrimine abstracta nequit percipi scientia. Non aliter igitur ideam boni mente assequi possumus, ac si omnes ideas quasi peragrantes in iis commune consilium et ultimum finem indagamus et concipimus. Quod quam sit difficile, Plato probe scit [58]).

Atque haec mihi quidem satis perspicua esse videntur, sed clariora fortasse etiam evadent assumtis illis philosophiae Platonicae summis principiis, quae in Philebo descripta et a nobis supra (p. 49 sqq.) illustrata sunt. Diximus tertiam causam,

---

κυρία ἀλήθειαν καὶ νοῦν παρασχομένη. — Notandum est, in universa de idea boni disputatione *νοῦν* nihil esse, nisi facultatem, qua homo reapse cognoscat. Nam sicut sol non ipsum oculum vel **quiescentem** facultatem videndi creat, sed id solum efficit, ut homo hac facultate sibi a creatore insita operari possit, sic idea boni non mentem ipsam, quae tantum **possit** cognoscere, gignit, sed locum ei dat, ut cognoscens revera operetur et munere suo fungatur. Tum demum **apparet** (*φαίνεται*), animum habere vim cognoscendi, quum ad id, quod vere est, sese direxit. Quod nisi fecit, quiescente cognoscendi facultate **videtur** nullam habere (*ἔοικε νοῦν οὐκ ἔχοντι*). Vid. p. 508 D.

57) P. 508 E: *καλῶν ἀμφοτέρων ὄντων, γνώσεώς τε καὶ ἀληθείας, ἄλλο καὶ κάλλιον ἔτι τούτων ἡγούμενος αὐτὸ (τὸ ἀγαθὸν) ὀρθῶς ἡγήσει.* p. 509 B: *καὶ τοῖς γιγνωσκομένοις τοίνυν μὴ μόνον τὸ γιγνώσκεσθαι φάναι ὑπὸ τοῦ ἀγαθοῦ παρεῖναι ἀλλὰ καὶ τὸ εἶναί τε καὶ τὴν οὐσίαν ὑπ᾽ ἐκείνου αὐτοῖς προσεῖναι, **οὐκ οὐσίας ὄντος τοῦ ἀγαθοῦ**, ἀλλ᾽ ἔτι ἐπέκεινα τῆς οὐσίας πρεσβείᾳ καὶ δυνάμει ὑπερέχοντος.*

58) VII. p. 517 B: (*φαίνεταί μοι*) *ἐν τῷ γνωστῷ **τελευταία** ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέα καὶ **μόγις ὁρᾶσθαι**, ὀφθεῖσα δὲ συλλογιστέα εἶναι, ὡς ἄρα πᾶσι πάντων αὕτη ὀρθῶν τε καὶ καλῶν αἰτία.*

Digitized by Google

quae materiam et formam conciliet, (τὸ αἴτιον τῆς ξυμμίξεως) esse causam efficientem. Sed non solum efficit, ut illae conjungantur, verum etiam eadem modum et normam constituit, ad quam fiat causae materialis et formalis copulatio, atque haec ipsa ratio, qua in re aliqua formam et materiam concinnatas esse effector voluit, hujus rei est finis. Sic vis efficiendi et causa finalis intime cohaerent, et, ubi de rerum universitatis creatione agitur, separari nequeunt. Mens creatrix enim cogitatur esse ea vis, quae materiam per se infinitam finiente lege et forma astringat. Modum autem et finem, in quem hoc fiat, ea non extrinsecus petere potest, sed in se ipsa gerat est necesse. Quae igitur causa tam principium quam finem conjunctionis in se gerit, non solum efficiens est verum etiam finalis. Si ab hoc αἰτίῳ vim efficiendi et movendi sejungimus solamque causam finalem retinemus, nihil aliud habemus nisi ideam boni. Quae a reliquis ideis multum differt. Quum enim his essentia ita propria est, ut nihil praeter eas, quae semper τὰ ὄντα vocantur, esse dicatur, idea boni non habet essentiam, neque ipsa est substantia (vid. not. 57), sed causa omnis substantiae et merum principium, quod per se esse proprie dici nequit. Ceterae ideae non sunt mera principia, quippe quae nonnisi in rebus, quarum principia sint, essentiam habeant, sed ipsae sunt res quodammodo concretae atque e materia quadam et forma conflatae. Idea cujusdam rei non est hujus mera forma, sed ipsa res, qualis a mente divina concepta et idealiter composita est (die Ur-sache). Continet in se materiam quandam, non hanc quidem concretam et corpoream, sed idealem a spatii et temporis notionibus longe remotam, quae tam absoluta ratione in ea cum forma coaluit, ut singulis rebus ad ejus similitudinem conformatis [59]) tamquam exemplar proposita sit, quod his quam perfectissime

59) Unaquaeque res efficta est ad ideae cujusdam formam, cui est ὁμώνυμος. Phaedo p. 78 E. Tim. p. 52 A. cfr. Parm. p. 140 C. Phaedo p. 102 B et Trendelenburg. Platonis de id. et numer. doctr. ex Arist. illustr. p. 82 sqq.

Digitized by Google

est imitandum, ut finem suum consequantur [60]). Atque ita ideae, quarum participatione i. e. imitatione [61]) singulae res tales fiunt, quales esse debent, quodammodo harum, sunt causae finales. Proprie vero non de causis finalibus loqui licet, sed una causa finalis est bonum, quod per omnes ideas quasi permeat iisque eam essentiam, qua et sunt et cognosci possunt, impertit.

Quibus de idearum materia et summo principio disputatis, si non lucem, saltem fidem afferet Aristoteles [62]). Qui narrat in Metaphysicorum libro primo Platonem pro causis rerum habuisse ideas, harum autem ideoque omnium rerum elementa et principia docuisse esse, tamquam materiam, infinitum, quod magnum et parvum appellaverit; tamquam id, quod certam essentiam praebeat, unum [63]): atque hoc alterum principium esse causam boni [64]). Atqui siquidem causa boni est

---

60) Cfr. Phaed. p. 74 D: *βούλεται μὲν τοῦτο, ὃ νῦν ἐγὼ ὁρῶ, εἶναι οἷον ἄλλο τι τῶν ὄντων* (h. e. idea), *ἐνδεῖ δὲ καὶ οὐ δύναται τοιοῦτον εἶναι, οἷον ἐκεῖνο, ἀλλ' ἔστι φαυλότερον.* ib. p. 75 B: *προθυμεῖται μὲν* (s. *ὀρέγεται* — ib. A) *πάντα* (*τὰ ἐν ταῖς αἰσθήσεσι*) *τοιαῦτα εἶναι οἷον ἐκεῖνο, ἔστι δὲ αὐτοῦ φαυλότερα.*

61) Arist. Metaph. A 6: *οἱ μὲν Πυθαγόρειοι μιμήσει τὰ ὄντα φασὶν εἶναι τῶν ἀριθμῶν· Πλάτων δὲ μεθέξει, τοὔνομα μεταβαλών.* Ideas a Platone in scholis ad numeros (ideales) esse relatas, notum est: quod qua ratione fecerit, exponere hic nihil attinet.

62) Quae Aristoteles de ideis Platonicis tradiderit, doctrinae ab ipso Platone litteris mandatae non repugnare, primum quod sciam demonstratum est in clarissimo Trendelenburgii libro modo laudato, ubi etiam de numeris idealibus copiose est disputatum. Praeterea dignissima est, quae legatur, Zelleri „Darstellung der Platonischen Philosophie bei Aristoteles" in Studiis Platonicis ab illo editis a. 1839.

63) C. 6 p. 987 B 18: *ἐπεὶ δ' αἴτια τὰ εἴδη τοῖς ἄλλοις, τἀκείνων στοιχεῖα πάντων ᾠήθη τῶν ὄντων εἶναι στοιχεῖα. ὡς μὲν οὖν ὕλην τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν εἶναι ἀρχάς· ὡς δ' οὐσίαν τὸ ἕν.* Cf. Phys. III. 4 p. 203 A 9: *τὸ μέντοι ἄπειρον καὶ ἐν τοῖς αἰσθητοῖς καὶ ἐν ἐκείναις* (*ταῖς ἰδέαις*) *εἶναι.* Simplic. ad Phys. fol. 104 b.

64) Metaph. l. l. p. 988 A 14: *τὴν τοῦ εὖ καὶ τοῦ κακῶς αἰτίαν τοῖς στοιχείοις ἀπέδωκεν ἑκατέροις ἑκατέραν.*

Digitized by Google

ipsum bonum [65]), quid aliud est hoc principium unitatis et essentiae nisi idea boni? Ideae sunt singularum rerum fines, et quia fine solo constituitur rei forma et determinata essentia [66]), eaedem quodammodo rerum notiones et causae formales. Omnium idearum vero, quippe quae non sint merae formae, sed res ideales e materia et forma compositae, causa finalis, ex qua uniuscujusque forma et essentia pendet, est idea boni. Quae sic, (nam distinctio quatuor illarum causarum, quae arctissime inter se cohaerent nec unquam in re ac veritate separatae sunt sed cogitatione tantum discernuntur, a nemine ante Aristotelem accurate est servata), non solum pars illius *αἰτίου* et causa finalis est, sed quodammodo etiam *τὸ πέρας* sive causam formalem una in se gerit. Unde nata esse videtur opinio, quam auctor libri de placitis philosophorum tuetur [67]), tres esse rerum causas a Platone constitutas, efficientem, materialem, finalem, cui sine dubio subesse vult formalem. Quod vero Aristoteles duobus dicit eundem usum esse summis principiis, infinito sive materia et uno, quod causa sit *τοῦ τί ἐστι*, a Platone autem simul pro causa boni habitum sit [68]), non aliter accipiemus, ac Platonem causae materiali opposuisse causam finalem cum formali intime conjunctam. Et profecto, ut hanc in ipso bono omnibusque ex eo manantibus ideis cernamus, jam hucusque allata nos adducerent, etiamsi non certissimis antiquitatis testimoniis confir-

---

65) ib. A. 4 p. 985 A 9: *τὸ τῶν ἀγαθῶν ἁπάντων αἴτιον αὐτὸ τἀγαθόν ἐστιν.*

66) Idea repraesentat rei notionem vel ipsam rem perfecte cum sua notione congruentem. Si igitur notio ac finis serrae eo continetur, ut terendo dissecet, propter hunc finem necesse est, ut ea certam formam, videlicet certae qualitatis dentes, habeat. — Socrates in Phaedro (p. 246 A) de animi natura et notione locuturus sic incipit: *περὶ δὲ τῆς ἰδέας αὐτῆς (τῆς ψυχῆς) ὧδε λεκτέον.*

67) I. 11: *Πλάτων τριχῶς τὸ αἴτιον· φησὶ γὰρ ὑφ' οὗ, ἐξ οὗ, πρὸς ὅ.* Cfr. Appuleji verba ab Hermanno laudata (Vindiciae disp. etc. p. 24): Tria initia rerum esse arbitrabatur Plato, deum, materiam, rerumque formas, quas *ἰδέας* vocat.

68) Metaph. A. 6 p. 988 A 9—15.

Digitized by Google

matum esset, ab ipso Platone ideam boni dictam esse **unum**, quasi in unitate tota ejus natura esset sita [69]). Quapropter ii, qui sibi persuaserunt, in Platonis philosophia ideam boni omnino non diversam esse ab ipso absoluto, quod dicunt, sive deo, Aristotelis poterant uti auctoritate atque omnes causas praeter materiam, totam igitur divini numinis potentiam in uno, quod esset idea boni, sitam esse contendere. Ac si quis legat, quod Aristoteles dicit [70]), non satis clare Platonem elocutum esse, quid et quale principium esset idea boni, utrum causa finalis, an efficiens, an formalis, facile ei videri possint hae tres causae in uno bono conjunctae esse. At vero Plato aliter sensit, cujus verba si sequi volumus, formalem causam secernemus a finali, et hanc cum efficiente conjungemus. Sicut enim in Philebo materiae et formarum generi tertiam adjungit causam, quae earum conciliationem efficiat, in Timaeo introducit artificem, qui ex eo, quod semper idem sit, et altero omnia fingat. Hic est Platonis deus, cujus natura non accuratius mihi videtur posse describi, quam si dicatur esse causa efficiens cum finali consociata. Non solum enim formas cum materia copulans creat res, sed etiam unus perfecta bonitate praeditus ipse est finis totius creationis, et eo consilio creat rerum universitatem, ut sui quam simillima fiat (Tim. p. 29 E). Aristoteles quidem in magistri philosophia causam movendi sive efficiendi plane desideravit: neque hoc injuria factum esse videtur, si ratio spectatur, qua

---

69) Vid. locus Aristotelis in Introd. not. 99. transcriptus, quocum conferenda est narratio Aristoxeni Harmon. II. p. 30 ed. Meibom, et quod dicit Syrianus (vid. Brandis Gesch. d. Philos. I. p. 485): *ἐστὶ μὲν ὑπερούσιον παρὰ τῷ Πλάτωνι τὸ ἓν καὶ τἀγαθόν.* Accedit testimonium scholiastae (v. Scholl. coll. a Brandis.) ad Metaph. p. 1075 A 32 et ad p. 1091 B 13: *(Πλάτων φησὶν) ὅτι τὸ ἀγαθὸν αὐτὸ τὸ ἓν ἐστι καὶ οὐσίωται ἐν τῷ ἓν εἶναι, ὡς πολλάκις εἴρηται.*

70) Metaph. *Λ.* 10 p. 1075 B 37: *ἐν ἅπασι μάλιστα τὸ ἀγαθὸν ἀρχή. οἱ δὲ* (iidem, de quibus lin. 32—36 sermo est, et hi sunt manifesto et secundum scholiastas *οἱ περὶ Πλάτωνα*) *τοῦτο μὲν ὀρθῶς, ὅτι ἀρχήν· ἀλλὰ πῶς τὸ ἀγαθὸν ἀρχὴ οὐ λέγουσιν, πότερον ὡς τέλος ἢ ὡς κινῆσαν ἢ ὡς εἶδος.*

Digitized by Google

Plato principiis suis revera **usus** est. Non enim demonstravit, **quomodo** deus vim suam movendi in singulis rebus creandis exserat. Idem cadit in causam finalem, nam ne hac quidem ita ille usus est, ut ostenderit, **qua ratione** res ad unum finem tendant, cujus solius causa sint et fiant, et **quomodo** hic per singulas permeet atque in earum essentia expressus sit. Quapropter non injuste videtur Aristoteles judicasse, **usum esse** Platonem formali tantum et materiali causa, eumque causam finalem quodammodo dixisse et non dixisse [71]. Sed nos id hic agimus, ut exponamus, quae summa rerum principia esse statuerit Plato, non quatenus ipse ea esse demonstraverit et adhibuerit ad explicandam rerum naturam. Ex ejus sententia unum principium est materia, ex qua omnia fiunt, alterum forma, ad quam materia componitur, tertium ea vis, quae certam formam eligit eamque cum materia in unum cogit. Atque haec quidem vis per omnia regnans omnibusque formam et finem constituens est deus, qui quum ad sui similitudinem i. e. ad ideam boni in sua voluntate sitam et in sua ipsius natura quasi expressam omnia formet, est quidem ipsum bonum, omniumque, quae sunt, summus finis, sed amplius quid etiam. Simul est enim vis movendi et generandi, qua idea boni per se sola non pollet. Itaque τὸ αἴτιον, quod supra definivimus simul causam efficientem et finalem esse, si rerum universitatis ipsarumque idearum creatio [72]) spectatur, a deo

71) Vid. locus not. 68 citatus (*Πλάτων δυοῖν αἰτίαιν μόνον κέχρηται, τῇ τε τοῦ τί ἐστι καὶ τῇ κατὰ τὴν ὕλην. τὰ γὰρ εἴδη τοῦ τί ἐστιν αἴτια τοῖς ἄλλοις, τοῖς δ' εἴδεσιν τὸ ἕν κτλ.*) et Met. A, 7 p. 988 B 6 et inprimis lin. 12—16, quem locum ad Platonem pertinere, testatur Alexander et confirmant loci not. 69 et infr. not. 76 allati.

72) In loco de Rep. X. p. 597 B, ubi Plato de **idearum creatione** loquitur, a se ipso desciscere multis viris doctis visus est; quibus non assentior. Si enim constant ideae e materia et forma, quidni cogitari possit causa, quae utramque miscens eas creaverit? Et vere creavit deus, qui est causa efficiens et finalis, ideas; non vero tempore quodam, sed in aeternitate eas creavit jam ante mundum (ut ita dicam), quum nihildum temporis erat. Ideae ae-

Digitized by Google

non diversum est: id quod ipsius Platonis verba in Phileb. p. 28 C — 30 optime declarant. Etenim particeps quidem hujus facultatis, quae motionis cujusdam et originem efficit et finem consiliumque constituit, est mens quoque humana, sed absoluta omnis generationis et ordinis causa et ea vis, quae suo consilio omnia conformat ac disponit, sola est mens divina. Quae quum revera praeter vim creatricem finis et bonum ipsum sit [73]), non est quod haereamus in verbis So-

---

terno creantur, h. e. supra omne spatium et tempus, ita ut haec omnino non in earum creationem cadant. Qui nescit mente concipere, quomodo possit tempus originem habere et esse aliquid ante tempus, quod non sit pariter in tempore, ei certe concedendum est, Platonem aeternitatem ab infinito tempore plane distinxisse (Vid. Tim. p. 37 D — 38 C). Proprie dici non debet, creavisse deum ideas, sed eum has creare, nam mundus intelligibilis, qui hujus mundi exemplar est atque ex ideis constat, est aeternus, neque fuit neque erit, quas praeteriti et futuri temporis notiones nos per abusum ad aeternam substantiam, quae in tempore non est, transferre solemus (ib. p. 37 E). Deus, simulatque est (et est aeternus), est vis causalis, quae ἀόριστον δυάδα cum uno conjungens ideas procreat, atque in iis procreandis et quasi continendis agit et vivit; nam causa nihil efficiens cogitari quidem per se potest, esse vero nonnisi in agendo et in rebus, quas efficit. Sic deus non est sine ideis, in quibus vivit et πρὸς οἷσπερ ὢν θειός ἐστι (Phaedr. p. 249 C), quarumque contemplatione, ut Plato poëtice dicit (ib. p. 247 E), se nutrit. Sine mundo aspectabili deus subsistere potest, nam fuit jam ante mundum eumque olim una cum tnmpore creavit, atque etiamnunc est ea vis creatrix (δύναμις ποιητική — vid. Sophist. p. 265 C), quae efficit, ut singulae res naturales existant.

73) Si deus perfecte bonus esse dicitur, nunquam de bonitatis sive ideae boni participatione cogitandum esse mihi videtur. Participatio idearum in singulas res creatas cadit, quae eatenus bonae sunt, quatenus ipsum bonum participant sive ideam et exemplar bonitatis imitantur. Deus vero, si ideam boni imitaretur tantum, perfectus non esset. Immo bonum ita quasi ille possidet et in se gerit, ut hoc totum in ejus voluntate positum sit, et si quis idem velit tamquam ideam et unam speciem mente contueri, jubendus sit dei naturam in idearum mundo expressam cogitare.

Digitized by Google

cratis, qui dicit in Phileb. p. 22 C suam quidem mentem, quippe sibi non sufficientem, non esse ipsum bonum, non vero in veram et divinam mentem crimen indigentiae cadere, sed hanc alio quodam modo se habere [74]). Etenim sic se habet mens divina sive deus, ut neque hic quidem sit summum vitae humanae bonum, de quo illic sermo est, utique autem ipsum bonum, quod omnium bonorum principium et causa, omnium igitur finium finis est. Deus enim, qui voluit omnia bona esse nec quidquam mali creavit (Tim. p. 30 A 42 D E de Rep. II. p. 379 B C. X p. 617 E), omnium bonorum est auctor et principium (*αἴτιος* sive *αἴτιον πάντων τῶν ἀγαθῶν* — vid. de Rep. II. l. c. et cf. not. 65). Est igitur deus ipsum bonum, vel, si ita loqui vis, idea boni, sed idea boni non est deus, non totam divinitatis notionem explet. Deus, quatenus voluntas est quiescens, sive dei voluntas est ipsum bonum, sed ille non solum est voluntas quaedam quiescens, verum etiam vis creatrix. Licuit igitur Platoni dicere, *τὸν νοῦν* esse *τἀγαθὸν*, non vero, *τἀγαθὸν* esse *νοῦν*, neque unquam, opinor, ut illud, sic mentem supremam omnes res creantem et gubernantem sive deum ita definivit, ut esset nihil aliud nisi *τὸ ἕν* [75]). Dicitur sane in Aristotelis libro I. de Anima c. 2 §. 7 mens esse unum a Platone nominata, sed inde non sequitur, ab eo esse unum mentem dictum, neque ibi de mente divina agitur, sed de humana. Idea boni apte vocatur unum, non solum quia ipsa una est, sed quia principium est unitatis et quasi

---

74) *Φίληβ. Οὐδὲ γὰρ ὁ σὸς νοῦς, ὦ Σώκρατες, ἐστι τἀγαθόν, ἀλλ᾽ ἕξει που ταὐτὰ ἐγκλήματα. Σω. Τάχ᾽ ἄν, ὦ Φίληβε, ὅ γ᾽ ἐμός· οὐ μέντοι τόν γε ἀληθινὸν ἅμα καὶ θεῖον οἶμαι νοῦν, ἄλλως πως ἔχειν.*

75) Quod si fecisset, non differret ab Euclide, qui docuit, unum esse bonum, idque appellavit tum deum tum mentem (vid. Introd. not. 89). Sed huic, summum principium sive deum meram esse causam finalem vi movendi carentem, propterea placuit, quod Eleaticorum sententiam de immobilitate unius acceperat (cf. Plat. Sophist. p. 248 sq.). Apud Anaxagoram illud proprie nihil est nisi vis movendi et efficiendi. Plato neque hanc vim neque finalem neglexit, et item Aristoteles utramque causam in uno *νῷ* conjunxit, qui est *τὸ ἀκίνητον κινοῦν*.

Digitized by Google

vis adunandi. Nisi enim ad unum finem omnes mundi partes tenderent, universum esset discissum ac rerum ordo et bona connexio dissoluta. Quod discidium in hoc mundo aspectabili quidem multifariam obtinet, sed hic idea boni non omnia valet. Quatenus autem ea regnat in hoc mundo, ubi multum mali locum habet, eatenus res continet atque ordinat, sicut finis, quem complures attingere student, horum cursus ducit et moderatur. Atque hic quidem finis est, quo omnia, quae sunt, tendunt, et ad quem omne cognoscendi studium est dirigendum. Summa igitur res, quam mens humana attingere studet, est unum illud omnis essentiae principium [76]), sed cognoscitur non nisi una cum ideis, in quibus bonum quasi viget et existentiam suam habet [77]). Ideae, quoniam perfecte sunt, solae perfectam et omnino veram cognitionem praebent [78]).

---

76) Quia bonum est principium essentiae, in dialogis Plato illud supra essentiam posuit (vid. not. 57), in scholis vero τὸ ἓν etiam τὸ ὂν appellavit, id quod patet ex Aristot. Met. B, 1. p. 996 A 5. ib. 4. p. 1001 A 9 — qui locus ex emend. Bonitzii legendus est — l. 2. init. al. Differt illud quidem ab singulis οὐσίαις, quae sunt ideae, itaque non certa quaedam οὐσία est, sed est tamen, quin etiam est ipsum ens, quia omnia, quae sunt, eatenus tantum sunt, quatenus hoc participant.

77) Quamvis principium idearum non nisi in iis, quorum est principium, mente percipiatur, tamen idearum scientia a summi earum principii vel finis cognitione distingui potest, ut fit de Rep. VI. p. 511 B (vid. infr. not. 80) et VII. p. 532 A: ὅταν τις τῷ διαλέγεσθαι ἐπιχειρῇ, ἄνευ πασῶν τῶν αἰσθήσεων διὰ τοῦ λόγου ἐπ' αὐτὸ ὃ ἔστιν ἕκαστον ὁρμᾷ, καὶ ἢν μὴ ἀποστῇ, πρὶν ἂν αὐτὸ ὃ ἔστιν ἀγαθὸν αὐτῇ νοήσει λάβῃ, τότε δὴ ἐπ' αὐτῷ γίγνεται τῷ τοῦ νοητοῦ τέλει.

78) Haec scientia, quae in explorandis singulis iis versatur, quae vere sunt et, quia omnem essentiam ab uno acceperunt, ut radii non sine centro, sic relatae tantum ad hunc suum fontem ac finem cognosci possunt, proprie appellatur ἐπιστήμη. Vid. de Rep. p. VII. p. 533 D et cfr. Phaedr. p. 247 C: ἡ ἀχρώματός τε καὶ ἀσχημάτιστος καὶ ἀναφὴς οὐσία ὄντως οὖσα ψυχῆς κυβερνήτῃ μόνῳ θεατὴ νῷ· περὶ ἣν τὸ τῆς ἀληθοῦς ἐπιστήμης γένος τοῦτον ἔχει τὸν τόπον. —

Digitized by Google

Aliis generis est mathematica scientia, et tertium cognitionis genus pertinere ad res sensibus subjectas, supra vidimus **).

Jam quaeritur, quae inter haec cognitionum genera ad eam vitam, quae ex summo bono degatur, pertinere philosophus noster statuerit, quantumque pretii omnino tribuerit rerum cognitioni. Praestantissimam et verissimam scientiam judicat esse eam, quae per sumtiones, velut per gradus, quibus nemo insistit nisi ut altius ascendat, ad summum nusquam referendum omnium rerum principium perveniat, atque ab hoc tum proficiscens et ad idem omnia referens in meris rerum notionibus proxime illi adhaerentibus contemplandis versetur**). Quae scientia, quum ita et bonum ipsum communeque rerum universitatis consilium et singulis rebus propositos fines cognoscat, ad bene beateque vivendum maxime necessaria esse Platoni videtur. Nemo enim nisi qui id, cujus causa omnia fiunt, animo complectitur, intelligere potest, qui finis quum omnibus hominibus tum sibi ipsi sit propositus. Qui vero is, qui quem ad finem appetendi et agendi sua consilia referat,

---

79) Ipsa perceptio rerum, in qua, dum sensus feriuntur, animus simul movetur, est αἴσθησις (Phileb. p. 34 A). Cujus conscientia, quae perceptione finita remanet, est δόξα, quae ἐκ μνήμης τε καὶ αἰσθήσεως oriri apte dicitur, et infimum scientiae genus est, πίστιν atque εἰκασίαν complectens, quarum altera ad res ipsas pertinet, altera ad earum simulacra (de Rep. VI. p. 510 A. 511 E. VII. p. 534 A). Δόξῃ, γένεσιν, quippe res creatas, quae nec perfecte sint, nec prorsus non sint, sed in generatione versentur (ib. V. p. 477 A B), spectanti opponitur νόησις, quae ad οὐσίαν pertinens tam idearum quam rerum mathematicarum partim ἐπιστήμη est partim διάνοια (ib. VII. p. 534 A). Alias διάνοια etiam medio loco ponitur inter δόξαν et νοῦν (ib. VI. p. 511 D. VII. p. 533 D).

80) Phileb. p. 58 sq. de Rep. VI. p. 511 B: τὸ ἕτερον μάνθανε τμῆμα τοῦ νοητοῦ λέγοντά με τοῦτο, οὗ αὐτὸς ὁ λόγος ἅπτεται τῇ τοῦ διαλέγεσθαι δυνάμει, τὰς ὑποθέσεις ποιούμενος οὐκ ἀρχάς, ἀλλὰ τῷ ὄντι ὑποθέσεις, οἷον ἐπιβάσεις τε καὶ ὁρμάς, ἵνα μέχρι τοῦ ἀνυποθέτου ἐπὶ τὴν τοῦ παντὸς ἀρχὴν ἰών, ἁψάμενος αὐτῆς, πάλιν αὖ ἐχόμενος τῶν ἐκείνης ἐχομένων, οὕτως ἐπὶ τελευτὴν καταβαίνῃ, αἰσθητῷ παντάπασιν οὐδενὶ προσχρώμενος, ἀλλ' εἴδεσιν αὐτοῖς δι' αὐτῶν εἰς αὐτά, καὶ τελευτᾷ εἰς εἴδη.

Digitized by Google

nescit, ad hunc et ad perfectissimum naturae et vitae suae statum pervenire, qui ergo beatam et undique perfectam vitam consequi potest [81]? Sed bene perspexit Plato, extremi et maxime generalis finis idearumque cognitionem a singularum rerum perceptione et vitae usu abstractam per se solam non sufficere ad vitae beatitatem. Nam si quis cognitum quidem haberet, quid sit justitia per se spectata, de singulis autem rebus justis et injustis nesciret recte judicare, is aeque ridiculus foret ac qui scientia purarum circuli et globi formarum instructus in rerum natura eas cernere non posset. Itaque omnes etiam minus veras et accuratas scientias artesque censet esse expetendas, quum afferant ad beatam vitam multum momenti, aut certe, modo primae illae veriores scientiae adsint, nihil detrimenti [82].

Nec vero eum omnia tribuisse rerum cognitioni, jam ex iis patet, quae de voluptatis pretio eum judicasse vidimus. Magnum vel maximum bonum esse sapientiam, concessit, pro solo bono eam non habuit. Et recte quidem; nam non solum

---

81) Boni cognitio dicitur de Rep. VI. p. 505 esse maxima, qua si careamus, etiamsi alia quam maxima noverimus, nullum nos inde habere fructum: appeti igitur eam ab omnibus hominibus, a plerisque autem percipi incerta tantum divinatione et coeca opinatione, quae optimo et perfecto homine indigna sit. Cf. ib. VII. p. 534 B C. p. 517 C: *δεῖ ταύτην (τὴν τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέαν) ἰδεῖν τὸν μέλλοντα ἐμφρόνως πράξειν ἢ ἰδίᾳ ἢ δημοσίᾳ.* Qui enim hanc non viderunt, neque igitur omnium rerum summum finem perspexerunt, *σκοπὸν ἐν τῷ βίῳ οὐκ ἔχουσιν ἕνα, οὗ στοχαζομένους δεῖ ἅπαντα πράττειν, ἃ ἂν πράττωσιν ἰδίᾳ τε καὶ δημοσίᾳ* (ib. p. 519 C). Qui finis unus semper est respiciendus et ad eum omnia quasi tela dirigenda (de Legg. XII. p. 962 D cf. Arist. Eth. Nic. I. 1). Qui loci praeterea clare ostendunt, ideam boni summum finem esse.

82) Phileb. p. 62. Eadem ratione postulat de Rep. VI. p. 484 D, ut civitatis gubernatores, quos perfectos homines esse vult, non solum ideas (*ἕκαστον τὸ ὄν*) noverint, sed etiam experientia iis nihil cedant, qui soli terrestrium rerum cognitioni studeant. Monet autem ibidem (C), eos, qui has quidem non ignorent, verarum autem notionum cognitione privati id, quod verissimum sit, nequeant contueri neque illuc unumquodque referre, a coecis non differre.

Digitized by Google

mens est homo, qua ubi operatur, supra suam peculiarem essentiam evolans ad universalia se ipsum extollit, et quatenus quis vere cogitat, agit quasi loco totius generis humani. Verum etiam unusquisque homo est singularis persona habetque eam naturam, ut peculiari suae conditioni studeat atque hanc velit et conservare et augere. Dum hac ratione agit, sibi vivit, et sui corporis aut animi bonam aut pravam conditionem sentiens aut voluptatem aut dolorem percipit. Patet utramque rationem nonnunquam posse conjungi; in cogitando enim, quatenus cogito, universalem, ut ita dicam, hominem me praebeo, quatenus autem me cogitare sentio et de mentis meae actione doleo aut laetor, hic singularis sum homo. — Quae qui reputaverit, vehementer assentietur, opinor, Platoni, quod tam Aristippi, qui ad se solum suumque sensum homini omnia referenda esse, docebat [83]), quam Megaricorum, qui omne bonum in mente et cogitatione ponebant, doctrinas improbans [84]), a summo bono et perfecto vitae humanae statu neque scientiam et cogitationem neque voluptatem segregavit.

Sed si sapientiam non pro unice bono habuit, alia igitur praeter eam esse bona censuit, quaeritur, quantum pretii scientiae cum ceteris bonis comparatae ab eodem constitutum sit. Sunt loci in ejus dialogis, ubi ita de illa judicat, ut facile videri possit inter omnia singula bona scientiae principatum tribuisse. In Phaedro p. 241 C. animi cultura (*τῆς ψυχῆς παίδευσις*) dicitur esse id, quo nihil neque apud homines neque apud deos revera praeclarius (*τιμιώτερον*) neque sit neque futurum sit. Ac simili modo Timaeus (p. 47 A), philoso-

---

83) Nimium sui studium (*τοῖς πολλοῖς ἔμφυτον ἐν ταῖς ψυχαῖς*) dicitur de Legg. V. p. 731 E. omnium malorum maximum esse.

84) Quod de Rep. VI. p. 505 de iis, qui sapientiam summum bonum esse velint, dicitur, proxime non pertinet ad humanorum bonorum finem, sed ad id ipsum, quod in omni rerum natura bonum sit. Hoc non situm esse in cognitione, facile ita evincitur, ut interrogetur, cujusnam rei cognitio illa sit. Nimirum ipsius boni. Ergo qui dicunt cognitionem esse bonum, cognitionem ab eo, quod cognoscitur, non secernentes, id ipsum non definiunt.

Digitized by Google

phia, ait, nihil praestantius (μεῖζον ἀγαθὸν) deorum munere nec datum esse mortalium generi nec datum iri. Sed in his locis verba non nimis sunt premenda. Permagni sane Plato aestimat sapientiam, eamque permultum valere ad beate vivendum, arbitratur, sed, ubi accuratius rem rimatur, aliud quid tamquam praestantius etiam et majus bonum illi anteponit. Quod quid sit, proximum caput ostendet.

Cap. IV.

Nunc ipsam beatam vitam e voluptate et scientia in Philebo compositam consideremus. In utriusque enim conjunctione et quasi commixtione ibi is vitae status ponitur, qui omnibus gratus et expetendus sit (πᾶσι προσφιλής — p. 64 C). Ut autem mixtio voluptatis et cognitionis hunc vere praebeat, addi iis Socrates jubet veritatem, quae nisi adsit, nihil unquam revera possit fieri neque esse (ib. B). Quibus verbis id sine dubio significat, vitam beatam e mentis usu et voluptatis fructu ita temperatam esse debere, ut consentiat communi omnibus rebus proposito fini sive ideae boni. Nihil enim nisi, quod huic omnis verae essentiae fonti ac principio respondet, nec bonum est nec est omnino (vid. supr. p. 70). Hac ratione est norma quaedam constituta, ad quam si componitur, vita prorsus talis est, qualis debet esse. Nam ad ideam boni si refertur et accommodatur vita humana, modum quendam in se recipit, qui efficit, ut omnes ejus partes, omnes scilicet appetitiones et actiones, pulcherrime inter se concinant et ad verum hominis finem sint directae. Ut igitur alicujus vita omnibus numeris absoluta sit, tria ei inesse oportet, quae revera quidem sunt unum, cogitando autem possunt disjungi. Quatenus enim vitam referimus ad summum rerum finem in idea boni situm ac reperimus huic congruentem, fini et notioni suae eandem respondere, ergo veram esse judicamus. Si vero singulas partes spectamus, et has omnes suum quamque videmus modum tenentes, neque quidquam ab rei fine et consilio postulati desideramus, ξυμμετρίας laudem ei tribuimus. Quam internam partium convenientiam, quatenus ea

Digitized by Google

unam effert speciem undique concinentem, sponte consequitur pulchritudo [85]). Haec tria igitur si comparent in vita humana, signo sunt, eam boni naturam perfecte suscepisse.

---

85) Phileb. p. 64 B — 65 A. Ad haec, sicut ad ea, quae deinceps explicaturus sum, contulisse juvabit, quae concinne, ut solet, scripsit Trendelenburgius „de Platonis Philebi consilio" p. 14 sqq., etsi mihi quidem hic illic, praesertim in explicatione loci gradus bonorum definientis a viro doctissimo, quem veneror praeceptorem, dissentiendum fuit. — Veritas praecipue inest ideis, quae, tamquam rerum notiones essentia praeditae, solae perfectam habent, quam dicimus, objectivam veritatem ideoque solae menti praebent veram cognitionem (veritatem subjectivam). Symmetria autem per se cernitur maxime in figuris et corporibus mathematicis, quae quum ab omni materia, quae discrepantiam afferre solet, abstracta sint, nihil in se gerunt inconcinni, nihil immoderati. Si vero commensus et convenientia sic per omnes rei partes pertinet, ut ex apta earum compositione una perfecta species efficiatur, quae aut sensibus aut sola mente percipiatur, adest pulchritudo. Cujus notio hanc ob caussam inprimis locum habet in rebus sub sensus cadentibus (quapropter nostrates eam sic definiunt, pulchrum esse die Idee in sinnlicher Erscheinung) sed transferri potest ad omnes res, in quibus omnes partes inter se convenientes et ad rei finem accommodatae esse videntur. — Itaque pulchrum bono maxime cognatum est, et praesertim apud Platonem haec prorsus eadem videntur esse, qui saepe docuit, omne bonum esse pulchrum nec quidquam pulchrum nisi quod idem esset bonum. Symp. p. 201 C. Tim. p. 87 C. Protag. p. 358 B. Phileb. p. 64 E. de Legg. V. p. 728 A IX. p. 859 C sq. cf. Plat. Hipp. Maj. et Xenoph. Mem. III. 8. 5. Sed tamen est quaedam differentia, quae non in re pulchra aut bona, sed in diversa ratione, qua consideratur, sita est. Vera esse mihi videntur, quae Schleiermacherus scripsit in annot. ad Charmid. (Platons Werke I. 2 p. 395): Es erhellt bei näherer Betrachtung, dass Platon unter καλὸν die sittlichen Eigenschaften als Gegenstand der Betrachtung bloss an sich, gleichsam als ruhend dachte, unter ἀγαθὸν aber als wirkend. — Bonum est, quod suo vero fini et ita omnium rerum communi consilio respondet, idemque pulchrum est. Sed quatenus cogitatur tamquam conducens ad hoc consilium et ad id peragendum pro sua parte conferens, bonum appellatur, — pulchrum, quatenus nihil nisi ejus congruentia cum idea boni

Digitized by Google

Nam in pulchritudine et partium convenientia ac veritate cernitur id, quod tam in homine quam in universitate rerum bonum est (p. 65 A. 64 A).

Postquam ita vidimus, ad quam normam optima et pulcherrima vita composita sit, elementa compositionis accuratius etiam inspiciamus. Quaecunque pulchra sint, ait Socrates p. 26 B, omnia nobis existere ex infinitorum et finientium commixtione, recta scilicet; nam non quaelibet horum conjunctio gignit pulchra, sed ὀρθὴ κοινωνία (p. 25 E). Quid igitur pulchrae vitae subjectum est infiniti? quid hoc finivit? quae denique fuit causa infinitam materiam cum finiente forma ac lege concinnans? Quemadmodum hominis corpus universae mundi materiae omniumque hujus elementorum particulas in se continet, ejusque mens ex illa mente, quae per rerum universitatem regnat eamque moderatur, tamquam delibata est [86]), sic humana vita ex omnibus infinitis per finientium vim vinctis est composita [87]). Quod quidem ad naturalem hominis con-

---

quasi quiescens spectatur. In pulchro communem finem et absolutam ideam jam quadamtenus subsistentem cernimus, qui aspectus nullum sapientem hominem non delectat (v. de Legg. II. p. 658 E). Bonum laudamus, quia id ad communem finem assequendum conducit, et, ut hic omnino existat, quasi efficit. Qua de causa bonitatem maxime de actionibus praedicamus, ita ut Aristoteles dicere potuerit Metaph. M, 3: τὸ ἀγαθὸν ἀεὶ ἐν πράξει, τὸ δὲ καλὸν καὶ ἐν τοῖς ἀκινήτοις. Sed etiam bonae actiones dicuntur pulchrae, quatenus in se spectantur (cf. Arist. Eth. Nic. IV. 2 init.). —

86) Hominum parvum quasi esse mundum, docetur Phileb. p. 29 sq. Tim. p. 41 sqq.

87) Phileb. p. 27 D: καὶ μέρος γ' αὐτὸν (τὸν μικτὸν βίον ἡδονῆς τε καὶ φρονήσεως) φήσομεν εἶναι τοῦ τρίτου, οἶμαι, γένους (τῶν ἐξ ἀπείρων καὶ πέρατος μικτῶν). οὐ γὰρ δυοῖν τινοῖν ἐστὶ μικτὸς ἐκεῖνος, ἀλλὰ ξυμπάντων τῶν ἀπείρων ὑπὸ τοῦ πέρατος δεδεμένων, ὥστε ὀρθῶς ὁ νικηφόρος οὗτος βίος μέρος ἐκείνου γίγνοιτ' ἄν. Quem locum interpretes (Schützius, Schleierm., Astius, Stallb.) μικτὸν ἐκεῖνο scribi jubentes non emendant sed corrumpunt. Ratio enim iis verbis redditur, cur vita e voluptate et sapientia mixta ad illud mixti genus pertineat. Quod Stallbaumius hac conclusione effici, arbitratur (vid. praeter annot. ad h. l. additamenta ad edi-

Digitized by Google

ditionem attinet, haec ab ipsa natura vel mente divina ita est constituta, ut, quoad fieri poterat, materiae infinitas secundum aeternas leges in certam formam redacta sit. Moralis vero

---

tionem recentissimam Philebi, p. 377): „Vita optima ex voluptate et sapientia constat. Itaque ea pars est tertii rerum generis, quod mixtum diximus. Non enim hoc duo tantum aliqua continet, sed complectitur omnia omnino, quae sunt finita [πέρας] et infinita. Quamobrem necesse est, etiam vita mixta ei subjecta sit." Equidem puto, Socratem logicae peritiorem fuisse, quam qui tali conclusione usus esset, quae ad simplicem formam redacta haec est: Vita optima est mixta e voluptate et sapientia; tertium genus continet omnia ea, quae ex infinitis et finientibus mixta sunt; ergo illa huic generi subjecta est. — Forma certe conclusionis est perversa. Nam nondum usquam Socrates dixerat, voluptatem esse infinitum et sapientiam finiens. At si hoc ita statuisset, et postea pronuntiasset, tamen res et sensus conclusionis bene se haberet. Et profecto voluptas ἄπειρον dicitur. Ergo sapientiam esse πέρας, interpretes videntur ratiocinari. Quo nihil est perversius. Plato nusquam sapientiam (νοῦν καὶ φρόνησιν), quae est scientia idearum (p. 59 D), πέρας esse dixit, sed clarissime (p. 30 C. 31 A.) ad τοῦ αἰτίου genus retulit; neque usquam ullam aliam scientiam generi finientium accensendam esse innuit, id quod Stallb. sic sibi persuasit, ut de hac re quemquam dubitaturum esse neget (Prolegg. p. 69). Attamen ipse fluctuat, et modo mentem ac sapientiam generi causae affinem esse vult (p. 44. 63. 69. 74. 81), modo ad genus τοῦ πέρατος (quod ille finitum appellare solet) pertinere judicat (p. 42. 180), et item ceteras cognitiones et artes modo illi generi annumerat (p. 63), modo ad τὸ πέρας referendas esse, Platonem sibi tacito prodidisse opinatur (p. 79). Cognitio aut idearum aut aliarum rerum id esse potest, quod cui materiae finem dat et modum ac formam imponit, sicut artificis mens et scientia efficit, ut aeri certa forma circumdetur. Aliquam cognitionem ipsam esse hanc finientem formam, cogitare nequeo, nec ullo modo a Stallbaumio demonstratum est. Quibus meris argutiis relictis et hic Philebi locus et multi alii perspicui erunt, qui ab interpretibus perperam explicati sunt. Quoniam vita e voluptate et sapientia mixta est, h. e. voluptatem et sapientiam in se continet, non iccirco eam ad genus ex infinito et finiente mixtorum referre licet. Non enim quaecunque e quibuslicet rebus mixta sunt, sed ea sola, quae ex

Digitized by Google

vita pendet ex ipsius hominis mente et voluntate, quae, ubi illa ad justum et legitimum modum composita est, causa fuit hujus compositionis, sicut mens divina in universi mundi vita materiae legem imponens ordinem et pulchritudinem procreavit. Materia autem vitae moralis maxime in appetitibus sita est, quos menti et rationi obedire, et ab hac secundum modum a vitae humanae vero consilio praescriptum coërceri atque ordinari oportet. Ac si simul in corporis constitutionem mens eam, quam potest, vim adhibet, ut optima hujus valetudo et pulchritudo enascatur, omnis virtus summaque humanae naturae perfectio emergit. Ad quam qui pervenit, nullius rei indiget absolutaque fruitur beatitate, quae maxime quidem in habitu quodam animi sita est [88]), sed adjunctam habeat oportet talem corporis dispositionem, qualis animo respondeat. Pulcherrimum enim est animus pulcher in pulchro corpore habitans (de Rep. III. p. 402 D. Tim. p. 87 D).

His ita constitutis jam dijudicare licet, quid in hoc statu, qui, utpote perfecta pulchritudine, partium convenientia, veritate ornatus, summum hominis bonum est, praestantissimum sit, vel quid inter singula ea bona, quae summo et consummato bono contineantur, maxime excellat. Quod docetur in

---

infinito et finiente constant, ad illud pertinent. Sic igitur Socratis argumentatio procedit: Vita e voluptate et sapientia mixta pars est tertii generis res ex infinito et finiente mixtas complectentis. Nam pertinent quidem ad hoc non omnes duorum elementorum commixtiones, illa vita vero est non e duobus aliquibus rebus mixta, sed ex infinito et finiente, et quidem ex omnibus natura sua infinitis fine autem jam terminatis et vinctis, constat. Evaserunt enim in illa vita victrice, voluptatem et sapientiam in se continente, omnia *ἄπειρα* (non solum voluptas) finita, quia ei inest sapientia, quae, utpote vi causali praedita, omnem infinitatem *πέρατος* lege astringit. Vita contra, quae solis voluptatibus impleta a nulla sapientia regitur neque ad justum modum ac finem componitur, hac ratione, quia voluptas et appetitio per se omnem modum aspernatur, infinitatis notam accipit.

88) Est enim quaedam ἕξις *ψυχῆς καὶ διάθεσις — δυναμένη ἀνθρώποις πᾶσι τὸν βίον εὐδαίμονα παρέχειν.* Phileb. p. 11 D.

Digitized by Google

extremo Philebo, ubi, singulorum bonorum pretio constituto, scientiae et voluptati suus cuique locus assignatur, atque ita tota in hoc dialogo agitata quaestio ad finem perducitur et absolvitur [89]. — Fuit autem de hoc celebratissimo recensu bonorum inter viros doctos semper maxima dissensio. Quorum nullius vestigiis quod omnino ingredi possum, moleste fero. Ea enim, quae hucusque disputavi, ipsa mihi novam monstrarunt viam, quam quum non possim non persequi, numerus multarum hujus loci interpretationum denuo est augendus. Exponam vero sententiam meam ea ratione, quam plerumque in hac scriptione brevitatis gratia secutus sum, ut quae alii aut recta aut inepta attulerunt nonnisi tacite respiciam.

Primum bonum, inquit Socrates, quod homini obtingere potest (sic enim interpretor *πρῶτον κτῆμα*, quod sine dubio idem declarat atque illud *τῶν ἀνθρωπίνων κτημάτων ἄριστον*), non est voluptas, sed quod ad modum pertinet et moderatum et opportunum et quidquid generis ejusdem existimandum est aeterni naturam suscepisse [90]. — Quae quid significent, e modo dictis (*ἐκ τῶν νῦν λεγομένων*) appareat necesse est. Ac profecto, non difficile esse cognitu, ait ipse Socrates p. 64 C D, quid in unaquaque compositione plurimi sit faciendum; neminem enim hominum id ignorare, quamvis compositionem nisi modum et concentum in se habeat, quum composita perdere tum se ipsam. Plurimum igitur ad perfectam vitam componendam refert, modum in ea regnare et, quidquid moderationem, opportunitatem, justam legem ac rationem

---

89) Universum hujus colloquii consilium clarissime significatur in Protarchi verbis p. 19 C: *σὺ τήνδε ἡμῖν τὴν συνουσίαν, ὦ Σώκρατες, ἐπέδωκας πᾶσι καὶ σαυτὸν πρὸς τὸ διελέσθαι, τί τῶν ἀνθρωπίνων κτημάτων ἄριστον.* Tum dijudicare licet, utrum sapientia an voluptas huic sit magis cognata.

90) P. 66 A: *ἡδονὴ κτῆμα οὐκ ἔστι πρῶτον οὐδ᾽ αὖ δεύτερον, ἀλλὰ πρῶτον μέν πῃ* (sc. *κτῆμά ἐστι*) *περὶ μέτρον καὶ τὸ μέτριον καὶ καίριον καὶ πάντα ὁπόσα χρὴ τοιαῦτα νομίζειν τὴν ἀΐδιον ᾑρῆσθαι φύσιν.*

Digitized by Google

cujusvis generis inferat, in eam cadere [91]. Non est hic modus ipsa idea boni, quae ἀνθρώπινον κτῆμα dici nequit, totus vero ex ea pendet. Nam a communi fine rebus proposito humanae vitae consilium proficiscitur et modus atque ordo constituitur, cui ea subjecta esse debet, ut consilio suo quam maxime sit consentanea [92]. Ut igitur ipsum bonum immutabile est et semper sibi constat, sic modus quoque ex hoc suspensus, qui vitam consummatam regit, dici potest esse aeternus (τὴν ἀΐδιον ᾑρῆσθαι φύσιν). Cernitur autem in illa ita expressus, ut quaecunque ea contineantur res, appetitiones, actiones ad justas quantitatis et qualitatis temporisque rationes sint accommodatae. Atque ita modus tamquam ordo incorporeus et anima vitalis corpus vitae humanae pulchre regit et gubernat [93]. Sed quamquam intime conjuncta sunt, tamen aliud est anima, aliud corpus. Illa πέρας quoddam est, quod in materiam, tamquam forma et finis et ordo, illatum efficit corpus animatum [94]. Eadem ratio

---

91) Cf. Protag. p. 326 B: πᾶς ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου εὐρυθμίας τε καὶ εὐαρμοστίας δεῖται.

92) Sine ordine ac lege non esse veram libertatem nec beatitudinem, Plato probe scivit, ideoque virum democraticum sive intemperantem, qui vitam suam ab omni ordine firmaque norma destitutam pro liberrima et beatissima habeat (de Rep. VIII. p. 561 D), in infimo fere gradu beatitudinis collocavit, et tyrannum, quippe qui maxime a lege et ordine alienus esset, miserrimum esse censuit (ib. IX. p. 587). Licentiam quidquid libeat faciendi, quae tunc temporis a plerisque pro summo bono habebatur (vid. Introd. not. 59), docuit esse malum (Gorg. p. 467 A). Itaque praeclare dicit Phileb. p. 26 D, quod cui rei legem et ordinem finientem constituat, id hanc non perdere sed servare. Vid. Stallbaumii eximia hujus loci explicatio et cf. Arist. Polit. V, 9. fin.

93) Usus sum Platonis verbis (p. 64 B): καθαπερεὶ κόσμος τις ἀσώματος ἄρξων καλῶς ἐμψύχου σώματος.

94) Ipse Plato dicit τὸ τῆς αἰτίας γένος (quod τῷ ἀπείρῳ τὸ πέρας sive finientem formam indit), τοῦτο ἐν τοῖς παρ' ἡμῖν ψυχήν τε παρέχειν καὶ σωμασκίαν ἐμποιεῖν καὶ πταίσαντος σώματος ἰατρικήν (p. 30 B). Efficit enim causa quaedam, ut corpus formam suam, quae est anima (vegetativa scilicet, nam animus sibi conscius aliud

Digitized by Google

intercedit inter vitam et modum in ea dominantem. Sicut in anima vigor et pulchritudo corporis sita est, sic modus id est, quod si vita humana suscepit, expetenda et bona omnibusque optabilis est reddita [95]). Qua de causa ille est in omnium bonorum complexione primum et supremum (τὸ τιμιώτατον).

Alterum autem est id, quod modo tamquam materia substratum est atque illo moderante conveniens et pulchrum, perfectum et idoneum se praebet [96]). Nam ut modus aliquis

---

quid est), sibi habeat, et ita facultatem praebet corporis et exercendi et sanandi h. e. formam ejus aut externam aut internam restituendi et emendandi. Vestigia igitur hoc loco invenio doctrinae de anima ab Aristotele ingeniose excultae, qui aperte dicit, animam esse quoddam εἶδος (seu μορφὴν) σώματος. De Anima II. init. — Quomodo ipsa anima ex finito et infinito temperata sit, ut ait Stallb. (ad ill. loc.), non video.

95) Cfr. p. 22 D: ἐν τῷ μικτῷ τούτῳ βίῳ, ὅ τί ποτ' ἐστι τοῦτο ὃ λαβὼν ὁ βίος οὗτος γέγονεν αἱρετὸς ἅμα καὶ ἀγαθός, οὐχ ἡδονὴ ἀλλὰ νοῦς τούτῳ ξυγγενέστερον καὶ ὁμοιότερόν ἐστι. P. 64 C: τί δῆτα ἐν τῇ ξυμμίξει τιμιώτατον ἅμα καὶ μάλιστ' αἴτιον εἶναι δόξειεν ἂν ἡμῖν τοῦ πᾶσι γεγονέναι προσφιλῆ τὴν τοιαύτην διάθεσιν; τοῦτο γὰρ ἰδόντες μετὰ τοῦτ' ἐπισκεψόμεθα, εἴθ' ἡδονῇ εἴτε τῷ νῷ προσφυέστερον καὶ οἰκειότερον ἐν τῷ παντὶ ξυνέστηκεν. Respondetur esse illud τὸ μέτρον.

96) P. 66 B: δεύτερον μὴν περὶ τὸ ξύμμετρον καὶ καλὸν καὶ τὸ τέλεον καὶ ἱκανὸν καὶ πάνθ', ὁπόσα τῆς γενεᾶς αὖ ταύτης ἐστίν. — Erunt sane, quos offendat, nos haec ad materiae notionem retulisse, cui ἀπειρία et ἀμετρία propria sit. Sed etsi de finita materia, tamen de materia sermo est. Videant isti locum p. 52 D, ubi τὸ ἱκανὸν aperte juxta τὸ σφόδρα τε καὶ τὸ πολὺ καὶ τὸ μέγα positum, iisque verbis materiae quantitas significata est, quam nihil facere, ait Socr., ad intelligendam rei veram notionem. Utrum enim paulum an multum albi adsit, nihil referre ad cognitionem ipsius albi, plurimum autem ejus puram qualitatem (τὸ καθαρόν τε καὶ εἰλικρινές) i. e. ut notio (τὸ τί ἐστιν, εἶδος, forma) quam purissime compareat. — Iuvat quoque conferre Aristotelem, qui Polit. VII. 4. init. de συμμέτρῳ χορηγίᾳ h. e. de conveniente externa conditione loquitur, sine qua civitas optima existere nequeat, atque ipse illam cum materia comparat, quam oporteat idoneam esse (ἐπιτηδείαν), ut ex ea fieri possit bonum et pulchrum artificium.

Digitized by Google

fingens et conformans locum habeat, ubi quasi vim suam exserat, sufficiente opus est atque idonea materia [97]). Si igitur vita humana justae moderationis expers similis est rudi indigestaeque moli atque ab omni congruentia et pulchritudinis veritatisque laude aliena, non minus spernenda est ea vita, quae talis moderationis non capax est, qualis eam pulchram et perfectam reddat. Fingamus, aliquem esse quam plurimis corporis et animi facultatibus, aliorum hominum societate, omnibus fere, ex quorum usu vita humana constat, destitutum, qui potest hic vitam suam ita moderari, ut optimae et beatissimae vitae conditionibus satisfaciat? Quare Plato, postquam primo loco posuit quasi animam, quam corpore semper prius quiddam et praestantius esse judicavit [98]), deinde postulat, ut corpus vitae ita sit comparatum, ut animae respondeat. Quidquid igitur ad partium convenientiam et pulchritudinem pertinet (*περὶ τὸ σύμμετρον καὶ καλόν*), et absolutum est ac sufficiens (*καὶ τὸ τέλεον καὶ ἱκανόν*), et quaecunque hujus sunt generis (*καὶ πάνθ᾽ ὁπόσα τῆς γενεᾶς ταύτης ἐστίν*),

---

97) Cf. Phaed. p. 99 B: *ἄλλο μέν τί ἐστι τὸ αἴτιον τῷ ὄντι* (h. l. modus, qui causa est, ut vita perfecta sit), *ἄλλο δ᾽ ἐκεῖνο, ἄνευ οὗ τὸ αἴτιον οὐκ ἄν ποτ᾽ εἴη αἴτιον*. Statuae forma praecipue est causa, quod illa pulchra est — non quidem causa, quae vocatur efficiens, de qua quidem in loco not. 95. transcripto voce *αἴτιον* deceptus cogitavit, sed tamen causa, nam *τὰ αἴτια λέγεται τετραχῶς* — non sine materia autem forma potest comparere. Si quis quaerat, quomodo perfectae vitae materia, i. e. ipsa vita cogitando a modo per eam regnante sejuncta, possit perfectae vitae et summi boni p a r s (unum scilicet *κτῆμα*) appellari, respondeam Aristotelis verbis (Phys. III. 6 fin.): *μόριον ἡ ὕλη τοῦ ὅλου, ὥσπερ ὁ χαλκὸς τοῦ χαλκοῦ ἀνδριάντος*. — Dignus praeterea est, qui huc afferatur, locus Tim. p. 68 E: *διὸ δὴ χρὴ δύ᾽ αἰτίας εἴδη διορίζεσθαι, τὸ μὲν ἀναγκαῖον, τὸ δὲ θεῖον, καὶ τὸ μὲν θεῖον ἐν ἅπασι ζητεῖν κτήσεως ἕνεκα εὐδαίμονος βίου, καθ᾽ ὅσον ἡμῶν ἡ φύσις ἐνδέχεται, τὸ δὲ ἀναγκαῖον ἐκείνων χάριν, λογιζομένους ὡς ἄνευ τούτων οὐ δυνατὰ αὐτὰ ἐκεῖνα, ἐφ᾽ οἷς σπουδάζομεν, μόνα κατανοεῖν οὐδ᾽ αὖ λαβεῖν οὐδ᾽ ἄλλως πως μετασχεῖν*.

98) Protag. p. 313 A. Gorg. p. 465 C. Phaedo p. 91 C. de Rep. IX. p. 585 D. 591 B. X. p. 891 E sqq. Tim. p. 34 C. de Legg. V. init. al.

Digitized by Google

vitae omnibus suis numeris et partibus expletae suppetant oportet. Nam tum demum vita modum et ordinem a suo et universi consilio tamquam certum et constantem praefinitum suscipere et plane in se expressum exhibere potest, quum nihil ad aequabilem partium concentum efficiendum necessarii in ea desideratur. Modo, sicut rerum perfectarum formis, propria est aeternitas (*ἡ ἀΐδιος φύσις*), in hanc autem vitae quasi materiam cadit notio generationis (*τῆς γενεᾶς*) [99]), quippe quum singulae vitae partes et quaecunque ea continentur res generatae significentur, et hae ea ratione adesse jubeantur, qua sufficiant, absolutae sint, inter se et cum universa vitae specie congruant. Atque huic quidem rationi in bonorum serie secundus tribuitur locus.

Sed vita beata non, sicut statua aliqua pulchra, ita e modo formam inferente et idonea huic subjecta materia componitur et temperatur, ut artifex quasi et auctor compositionis extra hanc positus sit. Maximam certe partem causa pulchrae temperationis, in qua consummata vita consistit, huic ipsi inest. Si igitur ejus gravissimum elementum modus est, qui eam regit, huic proximum materia suppeditans, tertium locum obtinebit causa, quae illam ad aeternum modum componit. Itaque quia jam antea mens causae (*τοῦ αἰτίου*) generi annumerata erat et divinae menti, rerum universitatis reginae et moderatrici, humana maxime cognata similique vi causali compos esse dicta, hic locus humanae menti et scientiae tribuitur [100]). Quisquis enim summum finem omnesque, quae ex eo pendent,

---

99) Similiter p. 26 C. genus mixti sive *τῆς μικτῆς καὶ γεγενημένης οὐσίας* (p. 27 B) non *γένος* sed *γένεσις* appellatur, ut simul generari hoc genus significetur, id quod de hoc quidem loco Stallbaumius et jam Baumgarten-Crusius (de Plat. Philebo p. 63) notarunt, de loco autem p. 66 B Trendelenburgius solus monuit (de Plat. Phileb. Consil. p. 23).

100) P. 66 B: *Τὸ τοίνυν τρίτον, ὡς ἡ ἐμὴ μαντεία, νοῦν καὶ φρόνησιν τιθεὶς οὐκ ἂν μέγα τι τῆς ἀληθείας παρεξέλθοις.* Humanam mentem et scientiam indicari, per se patet; qui enim possit divina mens in humanorum bonorum numero referri?

Digitized by Google

ideas et immutabiles vitae leges cognovit, et ita id, quod solum mentis sive intellectus et scientiae nominibus dignum est, possidet [101], facultate praeditus est vera illa amandi omniaque horum causa agendi [102]. Potest igitur, ad verum sibi propositum finem omnia sua dirigens et ab idea boni formam quasi operis repetens, totam vitam ad eum modum componere, qui ab ipso bono proficiscens illam bonam reddit et beatam. — Sed ut hoc fieri possit, non solum divinae normae, ad quam vita dirigi debet, scientia opus est, sed etiam humanarum rerum cognitione, qua qui caret, has haudquaquam ita potest tractare, ut legibus et formis illis divinis accommodatae evadant.

Quam ob causam boni et idearum cognitioni omnes minus verae disciplinae et artes et opinationes rectae, quae versantur in cognoscendis tractandisque singulis rebus sub spatii et temporis leges subjectis, adjunguntur et in quarto bonorum gradu ponuntur [103]. Quibus quatuor bonis si vita humana expleta est, pervenit ad summam perfectionem, cui nihil amplius deest. Attamen, ut absoluta beatitudo oriatur, unum accedere necesse est, quod revera quidem perfectionem sponte consequitur, cogitatione autem potest ab ea discerni.

---

101) P. 59 D: *Οὐκοῦν νοῦς ἐστὶ καὶ φρόνησις ἅ γ' ἄν τις τιμήσειε μάλιστ' ὀνόματα; Ναί. Ταῦτ' ἄρα ἐν ταῖς περὶ τὸ ὂν ὄντως ἐννοίαις ἐστὶν ἀπηκριβωμένα ὀρθῶς κείμενα καλεῖσθαι.* — *Φρόνησις* circa ideas versatur (vid. Phaedo p. 79 D), intellectui (*νῷ*) propria esse videtur summae ideae sive idearum principii cognitio. Vid. not. 77.

102) Cfr. p. 58 D: *εἴ τις πέφυκε τῆς ψυχῆς ἡμῶν δύναμις ἐρᾶν τε τοῦ ἀληθοῦς καὶ πάντα ἕνεκα τούτου πράττειν, ταύτην εἴπωμεν, διερευνησάμενοι τὸ καθαρὸν νοῦ τε καὶ φρονήσεως, εἰ ταύτην μάλιστα ἐκ τῶν εἰκότων ἐκτῆσθαι φαῖμεν ἂν κτλ.*

103) *Ἆρ' οὖν οὐ τέταρτα, ἃ τῆς ψυχῆς αὐτῆς ἔθεμεν, ἐπιστήμας τε καὶ τέχνας καὶ δόξας ὀρθὰς λεχθείσας, ταῦτ' εἶναι τὰ πρὸς τοῖς τρισὶ τέταρτα.* — Aeque atque hoc loco sapientia (*σοφία* sive *φρόνησις*) a cognitionibus et disciplinis (*ἐπιστήμαις*), quae singulas res cognoscunt et tractant, distinguitur de Rep. III. p. 428.

Digitized by Google

Dico **sensum** perfectionis, quem nihil aliud esse nisi voluptatem, supra demonstratum est.

Quintum igitur locum in bonorum serie **voluptates** obtinebunt, quae et mentis operationes et sensuum perceptiones sequuntur neque doloris quidquam admixtum habentes solum animum afficiunt atque hujus perfectionem comitantur [104]. Quae enim voluptates e corporis mutatione percipiuntur, proprie in bonis numerari nequeunt, quia nunquam purae sunt ab omni depravationis sensu, qui in perfecta vitae conditione locum habere non potest. Sed quum Plato ipse nec eas, qui e corporis cura oriantur, voluptates omnino rejiciendas esse dixisset, si animi totiusque vitae concentum non turbarent, hoc autem loco in sexto genere, quo sine dubio illas contineri vult, acquiescere jubeat bonorum enumerationem [105], aperte secum ipse pugnaret, nisi id significare voluisset, quum beato homini etiam corpore integro et perfecto opus esset, corporeae integritatis generationem quidem et restitutionem bonum quid esse et expetendum, sensum autem restitutionis, utpote dolore contaminatum, a vita beata non desiderari. — Quae omnia num recte de voluptatis ad beatitatem momento statuerit, infra exponemus, ubi universam Platonis de beata vita sententiam examini subjicere conabimur.

---

104) P. 66 C: *πέμπτας τοίνυν, ἃς ἡδονὰς ἔθεμεν ἀλύπους ὁρισάμενοι, καθαρὰς ἐπονομάσαντες τῆς ψυχῆς αὐτῆς ἐπιστήμας ταῖς δὲ αἰσθήσεσιν ἑπομένας.* Qui locus sine dubio corruptus sic mihi videtur scriptus fuisse: *πέμπτας τοίν. — — — τῆς ψυχῆς αὐτῆς τὰς μὲν ἐπιστήμαις τὰς δὲ αἰσθήσεσιν ἑπομένας.* Correctio satis lenis est paulumque fidei accipit a codice *Σ*, ubi jam *ἐπιστήμας* correctum et dativus casus exaratus est. Nostrae similem emendationem proposuit **Trendelenburgius** de Phileb. Cons. not. 50. — Quomodo hae purae voluptates, etsi per sensus velut e pulchrarum figurarum contuitu percipiantur, tamen solius animi (*τῆς ψυχῆς αὐτῆς*) esse dici possint, in cap. II. ostendisse mihi videor. — Pari ratione de Rep. VI. p. 485 D. *ἡ τῆς ψυχῆς ἡδονὴ αὐτῆς καθ᾿ αὑτὴν* opponitur *ταῖς διὰ τοῦ σώματος.*

105) *Ἕκτῃ δ᾿ ἐν γενεᾷ, φησὶν Ὀρφεύς, καταπαύσατε κόσμον ἀοιδῆς. ἀτὰρ κινδυνεύει καὶ ὁ ἡμέτερος λόγος ἐν ἕκτῃ καταπεπαυμένος εἶναι κρίσει.*

Digitized by Google

Id autem rectissime factum esse, ut omnis voluptas inferiore loco, quam mens et scientia rerumque cognitiones collocata sit, protenus apparet. Nam id quod ex singulis bonis supremo magis cognatum est, quam alterum, huic haud dubie praestat. Si igitur modus, qui vitam regit et cernitur in veritate et congruentia et pulchritudine, praestantissimum est humanorum bonorum (*τὸ ἄριστον* et *τὸ τιμιώτατον* — p. 64 C), scientia an voluptas sit praestantior, ex cognatione, quam cum illo utraque habet, dijudicandum est. Quaeritur igitur p. 65 de voluptate et scientia, utra earum optimo propinquior atque omnino majore honore digna sit[106]). Et a veritate quidem voluptas longe abest, quia in ea et in appetitione nihil inest, quod ipsam ad convenientiam cum communi fine et consilio, in qua omnis veritas sita est, accommodet. Mens autem in cogitando aut ipsa haec convenientia ideoque veritas est aut huic simillima[107]). Eandemque suum modum semper in se habere, maxime igitur moderationis et congruentiae participem esse[108]), voluptatem contra natura sua infinitam et immoderatam, negari nequit. Nec pulchritudinis laudem unquam menti et sapientiae, voluptatibus vero saepe derogare licet, quippe quum hae etiam e turpissimis rebus et actionibus percipiantur, mens autem semper circa res pulcherrimas versetur iisque maxime cognata sit.

Atque haec quidem satis sunto de ordine singulorum bonorum, quae uno summo bono sive perfectissima et beatissima vitae conditione continentur. Ne quis vero ea ita inter se separata esse opinetur, ut aliud ab aliis revera divelli, et unum ex iis alicui obtingere possit, qui reliqua non possideat. Iustus et absolutus modus in alius nullius vita cernitur nisi ejus, qui et sufficientibus rebus externis et idoneis animi corporisque facultatibus instructus est. Ab his autem sapientia et cogni-

106) *Ὁπότερον αὐτοῖν τοῦ ἀρίστου ξυγγενέστερόν τε καὶ τιμιώτερον ἔν ἀνθρώποις τέ ἐστι καὶ θεοῖς.*

107) Cf. de Rep. VI. p. 485 C: *ἦ οὖν οἰκειότερον σοφίᾳ τι ἀληθείας ἂν εὕροις;*

108) Cf. de Rep. VI. p. 486 D.

Digitized by Google

tiones et artes revera sejunctae esse nequeant, quae quatenus non moderationi subjectae esse sed ipsae vitam moderantes cogitantur, mente ab illis segregari et tamquam tertium et quartum bonum per se spectari possunt. Voluptatibus denique verissimis et optimis eum solum frui, qui sapientia totoque vitae habitu perfectissimo gaudeat, Plato ipse luculenter docet de Rep. IX. p. 580 D sqq. Itaque singula haec bona pro unius corporis membris cogitatione tantum disjectis accipiamus, neve quidquam aliud de Philebi ultimo consilio nobis persuadeamus, nisi hunc dialogum voluisse perfectae vitae corpus ita quasi ante oculos ponere, ut accommodatam eam esse ideae boni et spectare ad communem omnium rerum finem, partes autem illius et quasi membra optime inter se concinere, atque ita unam pulcherrimi concentus speciem effici appareat. Quisquis ad hanc beatissimam vitae conditionem pervenire vult, is habeat oportet ideae boni scientiam ceterasque cognitiones utiles et necessarias. Quibus instructus normam, ad quam vita componenda sit, novit modumque hac praefinitum vitae suae potest imponere: quod si facit, optimas simul sibi comparat laetitias.

Quae postquam exposita sint, quaestio de beatissima vita summoque humano bono nescio an alicui absoluta et ad exitum nihil desiderii relinquentem adducta esse videatur. At ipsius Philebi extrema verba nos monent, adhuc restare aliquid, quod ad disputationem de hominis bono absolvendam necessarium sit. Paulum quid, Socrate, inquit Protarchus, adhuc reliquum; neque sane tu quidem prius hinc discedere voles, quam nos! Sed nisi diutius hic morari et quae restant explicare vis, horum te alias admonebo [109]. — Quae verba temere scripsisset Plato, nisi ipse sensisset, propositae quaestioni nondum prorsus sufficiente ratione esse responsum, et in animo habuisset, de iis, quae reliqua essent, alio loco, alio

109) Σμικρὸν ἔτι τὸ λοιπόν, ὦ Σώκρατες· οὐ γὰρ δήπου σύ γε ἀπαρεῖς πρότερος ἡμῶν. ὑπομνήσω δέ σε τὰ λειπόμενα. — Quod Stallbaumius Protarchum desiderantem facit, quippe qui putavisset

nempe dialogo scribendo, exponere. Et profecto paulum istud et exiguum, quod Protarchus requirit, nihil aliud est nisi tota practica philosophia. De scientia quidem et cognitionibus, quid valeant ad vitam beatam, de voluptatibus ad eandem necessariis satis disputatum est in Philebo: item demonstratum est, modum quendam debere in vita regnare et per sapientiam in eam esse inferendum: sed qua via ac ratione hoc fiat, quo pacto homini agendum sit, ut modus ille in vita sua cernatur, indicatum quidem est, nondum vero expositum. Quod exponere uberiusque illustrare omnis practicae philosophiae est, quam in libris de Republica Platonem tractasse, quis nescit? Itaque adumbrat quidem Philebus vitae bonae et beatae imaginem, ac bene beateque vivendi doctrinae fundamenta quasi jacit, ipsum vero opus exaedificat Politia [110]. Quod

---

Socratem etiam de vulgarium voluptatum pretio ac dignitate expositurum esse, prorsus supervacaneum est, quoniam de his Socrates abunde exposuit p. 62 E — 63 E, ac si apparet per se, ut ait ille (Prolegg. p. 10), quid quantumque pretii voluptatibus istis statui oporteat, hujus rei expositio desiderari nequit.

110) Ex omnibus de Philebo a me disputatis spero clare iri intellectum, in hoc dialogo summa quum universae Platonicae philosophiae tum ethicae principia proposita esse, et vere esse Hermannum in historia philos. Platon. (quam systematis enarratio utinam in lucem prodiens mox sequatur!) p. 532 sic fere locutum: Die Vereinigung aller Resultate der älteren Speculation im Lichte der Idee, die wir als den geschichtlichen Charakter des platonischen Systems bezeichneten, erweitert sich namentlich im Philebus bis zur lichtvollsten Darlegung der obersten Kategorien dieses Systems selbst. (Vid. etiam supr. not. 19). Quibuscum verbis comparetur Heusdii de Philebo judicium in Initiis Philos. Platon. (ed. alt. p. 429) his verbis enuntiatum: Exercitationem omnino dialecticam Philebus continet, non ethicae Platonicae sive fundamentum sive doctrinam — et p. 453: Plato quum scribebat dialogum illum, minus Socratis suamve sententiam declarare, quam adhibere Philolai placito περὶ τῶν ἀπείρων τε καὶ περαινόντων dialecticam studuit. — Heusdii animum studio philosophiae Platonicae incensum magni facio eumque propter sermonis suavi-

Digitized by Google

quale sit, ut integram Platonis de vita absolute beata vel summo bono doctrinam perspiciamus, nunc nobis quaerendum est, et, ne libellus noster nimis extendatur, quam brevissime fieri potest, explanandum.

Cap. V.

Quum omnes antiqui philosophi ita consentiant, ut iis summum bonum nihil esse videatur nisi vivere ex hominis natura undique perfecta, discrepent vero maxime in hac definienda, supra jam monuimus, Platonem acutissime humanae naturae vires cognitas habuisse, atque hac cognitione ductum sententiam suam de summo bono animo concepisse. Dum igitur Aristippo homo sibi soli et ad suam sibi voluptatem comparandam natus esse visus sit, Euclides contra merae contemplationi eum studere jusserit, qui velit vitae humanae verum finem assequi, Platonem diximus utriusque rationibus conjunctis censuisse, nec ad suam solam peculiarem conditionem tuendam nec soli cogitationi universaliumque idearum studio hominem esse generatum. (Vid. supr. p. 94). Sed tertium quid est, in quo quisquis versatur, tamquam singularis hic homo simul quasi universalis est. Hoc apparet in juste agendo. In cognitando homo ex sua persona egreditur; dum sentit, totus in se est; quum vero honeste agit, in suam peculiarem conditionem recipit legem universalem, itaque simul sua et communia agit, suum simulque commune omnium rerum consilium perficit. Agendi autem principium est voluntas, quae hac ratione quasi medio loco inter intellectum et sentiendi

---

tatem admiror, sed quum ingenue ipse confiteatur (p. 117), non esse se philosophum, sed esse cupere philosophiae, certe antiquae, interpretem, cum illa laude simul hanc evanescere arbitror; et qualis ille sit philosophiae antiquae interpres, jam ex illis de Philebo dictis et ex sententia de Aristotele lata cognoscere licet, quem negat (p. 354) vix ullius philosophi de rebus intelligibilibus sententiam perspexisse recte; nocuisse, ait, eum vehementer veterum philosophorum interpretationi — et similia.

Digitized by Google

facultatem posita est. Quam tertiam naturae humanae partem non fugisse Platonem, supra vidimus (not. 11), ubi eum voluntatis vim in illa animi parte posuisse ostendimus, quam τὸ θυμικὸν vel τὸ θυμοειδὲς appellaverit. Siquidem igitur idem ponit summum bonum in perfectione omnium humanae naturae facultatum et in vita, in qua homo universum a natura sibi praescriptum munus expleat, necessario postulat, ut homo non solum vera cognoscere et voluptate frui studeat, sed etiam agere velit et virtutem exerceat. Quem virtutis usum narravimus Antisthenem tamquam id, quod unice bonum et satis sit ad beate vivendum, commendasse; simul autem vidimus, qualis fuerit haec ejus virtus, quum nec mentem nec naturalem vitam ille satis respexerit. Si vero, qualem Plato virtutis usum et agendi rationem praeceperit, enarrare volumus, necesse est, ut universam ejus ethicam doctrinam breviter adumbrare conemur. Specialiter enim hujus doctrinae partes pertractare, nihil attinet. Quare summam quasi ejus proponemus, quae huc fere redire videtur.

Uti omnia, quae vivunt, sic homo natura sua appetit finem suum ab hac sibi praescriptum: quem assequens acquirit id bonum, quod ad se pertinet suique quasi proprium est. Quum igitur quisque homo suum bonum omniaque suae naturae accommodata diligat et appetat, singulari autem homini id solum vere bonum sit, quod omnibus hominibus vel, utpote cum rerum universitatis consilio congruens, per se bonum est, omnes homines natura sua diligunt et sibi conciliare student id, quod vere et per se bonum est[111]). Hujus conscientiam in animo

---

111) In Lyside quidem ea definitio, qua dicitur id, quod nobis carum sit et a nobis appetatur, nostri proprium (τὸ οἰκεῖον — p. 221 E) idemque bonum esse (p. 222 C D), rejicitur, Platoni autem revera hanc sententiam probatam fuisse apparet ex Sympos. p. 205 E: οὐ τὸ ἑαυτῶν, οἶμαι, ἕκαστοι ἀσπάζονται, εἰ μὴ εἴ τις τὸ μὲν ἀγαθὸν οἰκεῖον καλεῖ καὶ ἑαυτοῦ, τὸ δὲ κακὸν ἀλλότριον· ὡς οὐδέν γε ἄλλο ἐστὶν οὗ ἐρῶσιν ἄνθρωποι, ἢ τοῦ ἀγαθοῦ. — Quisque diligit et appetit sua propria, τὰ οἰκεῖα, τὰ ἑαυτοῦ. Vere propria cujusque sunt τὰ ἀγαθά (cf. Charmid. p. 163 D), et quod optimum

Digitized by Google

gerunt, quasi in vita quadam ante acta ideas, quibus omnium rerum et vitae humanae fines cernuntur, intuiti sint[112]. Sed quamquam animus humanus natura sua harum scientia imbutus[113] et divinae menti, quae semper in contemplatione idearum versatur, atque his ipsis cognatus esse videtur[114], in hac terrestri vita propter corporis contagionem illa scientia valde est obscurata[115]. Cupiditatibus igitur falsarum voluptatum, quae maximae sunt quasi escae malorum et animum corpori affigunt[116], multiplicibusque perversis opinionibus occoecati saepe injusta et jucunda, quae non bona sunt, pro bonis habent. Quamobrem ad verum finem et id, quod homini optimum est, asscquendum necesse est, ut ille boni et pulchri amor rerumque divinarum desiderium, cujus semper aliqua particula, quamvis occulta, in unoquoque animo humano inest[117], excitetur et alatur, atque ita animus ad pristinum et verae naturae suae accommodatum statum et ad scientiam

---

cuique id etiam maxime proprium est (de Rep. IX. p. 586 E: *τὸ οἰκεῖον ἑκάστῳ τῇ φύσει κράτιστον καὶ ἥδιστόν ἐστιν ἑκάστῳ*). Vere bonum autem est, quod omnibus sive per se bonum (cf. quod auditor Platonis, Eudoxus dicit ap. Arist. Eth. Nic. X. 2 init.: *τὸ πᾶσιν ἀγαθόν, καὶ οὗ πάντ' ἐφίεται, τἀγαθὸν εἶναι*). Hoc est *τὸ πρῶτον φίλον* (Lysid. p. 219 C) atque *ὃ διώκει ἅπασα ψυχὴ καὶ τούτου ἕνεκα πάντα πράττει* (de Rep. VI. p. 505 E). Unaquaeque igitur *ἐπιθυμία* appetit *ἀγαθὸν* (Meno p. 77 de Rep. IV. p. 438 A) omnesque homines revera habere et facere volunt nihil aliud nisi bonum, neque quisquam sponte mala sectatur (Prot. p. 345 D. 358 C. Gorg. p. 468 B. 499 E. 509 E. Symp. p. 205 A. E. de Rep. III. p. 413 A. Tim. p. 86 D. de Legg. V. p. 731 C. 734 B. IX. p. 860 D). Itaque qui injuste agit, facit quidem quae sibi placent, non vero quae vult (Gorg. p. 466 E sqq.)

112) Phaedr. p. 246 sqq.

113) ib. p. 249 E: *πᾶσα ἀνθρώπου ψυχὴ φύσει τεθέαται τὰ ὄντα.*

114) De Legg. X. p. 899 E. Phaedo p. 79. 80 A B. de Rep. VI. p. 490 B. X. p. 611 E.

115) Phaedr. p. 250 C. Gorg. p. 493 A. Phaedo p. 64 E. sqq. de Rep. X. p. 611 C.

116) Tim. p. 69 D. Phaedo p. 83 D.

117) Sympos. p. 205 A D.

Digitized by Google

idearum reducatur [118]). Quae in quo non resuscitata est (nam discere nihil aliud est nisi recordari — vid. Phaedr. p. 249 C. Meno. Phaedo p. 72 E sqq.), is, ad quod consilia

---

118) De amoris vi et natura in Phaedro et Symposio disputatum esse, vix est quod moneam. Quae in convivio illo praeclare habitae sunt de amoris praestantia sex orationes mirifice inter se concinunt, sed ita in re explicanda quasi progrediuntur, ut alia alia deinceps propius ad ipsam amoris veram sedem accedat. Hic non ab re fore existimo, breviter eas perlustrare. Phaedri oratio amorem praedicat tamquam causam maximorum bonorum (p. 178 C D cf. Phaedr. p. 266 B), quia homines ducat ad magna et pulchra tam privatim quam publice agenda deorumque gratiam sibi conciliandam (p. 179 D) ideoque ad omnis virtutis beatitatisque adeptionem (fin.). Pausanias accuratius definit amorem, a vulgari divinum secernens. Hic amor feminas aspernens pueros sectatur, utpote natura plus valoris et intelligentiae habentes (p. 181 C. cf. de Legg. VI. p. 781 B), et animum potius quam corpus diligit (p. 181 B. 183 E), maximeque cognatus est amori sapientiae omnisque virtutis studio (p. 184 D), ad quod incitans et reipublicae et singulis hominibus maximam affert utilitatem. Eryximachus vero, medicus, amoris notionem latius patere dicit, eumque vim illam esse, quae in omni natura ita conjungat diversa et contraria, ut concentus et concordia ac, quaecunque pulchra et bona sint, existant. Quum igitur temperantiae et justitiae omnisque amicitiae et commercii, quod homines et inter se et cum diis habeant, auctor sit, illum nobis omnem beatitudinem afferre (p. 188 D). Quod ea ratione fieri, addit Aristophanes, ut manca nostrae naturae conditio sanetur: quam sanationem quum amor appetat, et nos quasi cum altera nostrum parte consociet (cf. Phaedr. p. 255 D), ad pristinam beatam integritatem nos eodem, qui a pietate erga deum non segregandus sit, reduci (p. 189 D. 191 D. 193 A D). Postquam tum Agathon poëta magnis laudibus amorem efferens, quippe qui pulcher, justus, temperans, fortis, sapiens, omniumque harum virtutum fons et auctor sit, ipsam perfectionem, quam amoris deus et habeat ipse et amantibus impertiat, descripsit, et ita finem (τὸ ἐρατόν — p. 204 C) proposuit, qui homini appetendus et per amorem sit assequendus, Socrates denique, ad viae, qua ad illum finem perveniatur, originem et decursum animum attendens, quaestionem de humani amoris vi ita absolvit, ut is demum iis, quae ceteri vere dixerant, fundamentum

et facta sua dirigat, non habet. Certum autem finem, ad quem omnia sua referre potest, is demum mente concepit, qui ad summae ideae vel communis omnium rerum finis et consilii

---

substruat. In amore, inquit, appetitur aliquid, quod nondum possidetur (p. 200). Amantur autem pulchra et bona (p. 201 A — C). Quisquis igitur haec amat, iis caret, alioquin enim ea non appeteret, nec tamen omnino eorum expers est, nam qui ab aliqua re prorsus alienus est, eam non appetit. Itaque ex affluentia et egestate amor natus esse videtur, neque cadit in deorum essentiam, qui nulla re egent, sed in humanam generationem, quorum nemo est sapiens et bonus, fieri autem studet quisquis non omnino insipiens et malus est. Amor igitur studium quoddam est indigentiae explendae ideoque perfectionis et immortalitatis assequendae. — Apparet ex his orationibus primum, maxime affinem esse amorem voluptati; quam percipimus ubicunque naturae nostrae aliquam indigentiam expleri illamque perfici sentimus. Quare Venus, amoris patrona, in cujus natalibus ipse daemon Amor procreatus esse fertur, simul voluptatis largitrix esse dicitur (Phileb. p. 12 B. De amoris cum generatione perfectionis et voluptate necessitudine Plato etiam ibid. p. 53 D. lectorem admonere videtur voluisse). — Tum patet, quam arcte Plato amorem cum philosophia cohaerere voluerit, quae tamquam summum finem cognitionem boni ejusque actionem appetit, sicut ille ipsius pulchri intuitum pulchrorumque procreationem. Idea autem pulchri nihil est nisi idea boni tamquam absolutum bonitatis exemplar ante mentis oculos posita. Dicam, quae de utriusque ratione sentio, germanice. Das Gute ist der absolute Zweck der Welt, welcher in einer Idealwelt, der die sichtbare nur ähnlich gebildet ist (Tim. p. 30 D. 37 C), als realisirt gedacht und als eine Gestalt (Idee) geistig angeschaut wird. So ist die Idee des Guten die die Vielheit der Idealwelt zusammenhaltende Einheit, die die Mannigfaltigkeit durchdringende Harmonie; das Viele aber in Einheit, das Mannigfaltige der Idealwelt als Eine in sich harmonische Gestalt vorgestellt ist das Schöne selbst oder die Idee des Schönen. Die Idee des Guten verhält sich zu ihr wie die Idee eines Dinges zu dessen Ideal. Der göttliche Wille, welcher die Idealwelt durchdringt und zusammenhält und in ihr Dasein hat, ist gut (Tim. p. 29 A), oder schlechthin das Gute selbst. (In der sichtbaren Welt hat derselbe nicht absolute Macht und Existenz, denn Gott bildete diese gut nur so weit es mög-

Digitized by Google

intelligentiam escendit, et ita non solum, quid omnibus rebus et hominibus universe bonum sit, sed etiam, si simul humanarum rerum cognitionem non neglexit, quid sibi ubique et in quaque re sit optimum, cognovit. Si quis autem, quid sibi bonum sit, intellexerit, ut is hoc non appetat, nec, si in actione aliqua situm sit, velit facere, fieri omnino nequit [119]). Omnis igitur vera virtus scientia nititur vel ipsa quaedam est scientia [120]). Nam virtutem possidet, qui sic se habet, ut velit ea, quae vere bona sunt, agere et, quoad possit, agat [121]). Apparet, quum proprie unum homini bonum sit, assequi naturae suae finem, virtutem esse unam [122]). Sed sicut ipsius humanae naturae, sic virtutis sunt quaedam partes, quae illius

---

lich war — Tim. p. 30 A. B. 37 D. al.). Die Idealwelt selbst ist absolut schön (*τὸ τῶν νοουμένων κάλλιστον καὶ κατὰ πάντα τέλειον* — Tim. p. 30 D).

119) Socrati in Protag. p. 352 C. videtur *καλόν τε εἶναι ἡ ἐπιστήμη καὶ οἷον ἄρχειν τοῦ ἀνθρώπου, καὶ ἐάνπερ γιγνώσκῃ τις τἀγαθὰ καὶ τα κακά, μὴ ἂν κρατηθῆναι ὑπὸ μηδενός, ὥστε ἄλλ' ἄττα πράττειν ἢ ἃ ἂν ἡ ἐπιστήμη κελεύῃ, ἀλλ' ἱκανὴν εἶναι τὴν φρόνησιν βοηθεῖν τῷ ἀνθρώπῳ* —: neque recte dicere homines, *πολλοὺς γιγνώσκοντας τὰ βέλτιστα οὐκ ἐθέλειν πράττειν ἐξὸν αὐτοῖς, ἀλλὰ ἄλλα πράττειν.* Gorg. p. 460 B: *ὁ τὰ δίκαια μεμαθηκὼς δίκαιός (ἐστιν).* — Qui quid male et turpiter egit, eum necesse est scientia boni et honesti in hac certe re destitutum fuisse. Alcib. I. p. 125 A: *ὃ ἕκαστος φρόνιμος, τοῦτο ἀγαθός. ὃ δὲ ἄφρων πονηρός.* Lach. p. 194 D. Prot. p. 345 B: *αὕτη μόνη ἐστὶ κακὴ πρᾶξις ἐπιστήμης στερηθῆναι.*

120) Prot. p. 361 B. Meno p. 87 sqq. Theaet. p. 176 C.

121) Virtus (*ἀρετὴ*) de omnibus rebus praedicatur, quae bonae vel naturae et notioni suae consentaneae sunt, ita ut munus suum rite praestent. Gorg. p. 506 D: *ἀγαθοί γέ ἐσμεν καὶ ἡμεῖς καὶ τἆλλα πάντα ὅσα ἀγαθά ἐστιν, ἀρετῆς τινος παραγενομένης.* Oculi igitur sua virtute praediti sunt, si *τὸ αὑτῶν ἔργον καλῶς ἀπεργάζονται* (de Rep. I. p. 353 B. cf. supr. p. 3), et canum, equorum, corporis humani rectus habitus est cujusque virtus (de Rep. I. p. 335 B. Gorg. p. 479 B. Apolog. p. 20 B). Hominis virtus in animi quadam sanitate et pulchritudine et integra conditione (*εὐεξίᾳ*) maxime cernitur (de Rep. IV. p. 444 D).

122) Prot. p. 329 C sqq. de Rep. IV. p. 445 C.

Digitized by Google

partibus quodammodo respondent, nunquam vero possunt revera inter se divelli et disjungi, siquidem perfecta ratione adsunt. Ad eam facultatem animi, qua verum cognoscitur, ea pars humanae perfectionis sive virtutis pertinet, quae vertitur in perspicientia veri et boni, rerumque finis et caussarum cognitione. Haec est σοφία sive φρόνησις [123]). — Altera virtus, quae maxime in ea animi parte, cui voluntatis vim tribuimus, sita est, ἀνδρεία appellatur, quae scientia ejus, quid in quaque occasione vere timendum et fugiendum, quid audendum et peragendum sit, continetur, atque ipsa constans nec ab ullo timore aut perverso appetitu concussa voluntas est boni peragendi [124]). Tertia autem virtutis pars spectat peculiarem hominis conditionem. Si quis enim a cognitione boni et mali proficiscens hujusque cognitionis clara conscientia instructus vires suas et appetitiones ita ordinat ac moderatur, ut suum quaeque modum teneat neque aliud nisi sua agere velit, internus animi partium et facultatum concentus efficitur, in quo consistit ἡ σωφροσύνη [125]) Quam patet, quum ille

---

123) De Rep. IV. p. 428 B. 442 C. VII. p. 518 E. Appellatur φρόνησις de Legg. III. p. 688 A ἡγεμὼν τῆς ξυμπάσης ἀρετῆς, et Phaed. p. 69 B omnis virtus a φρονήσει separata nihil nisi virtutis simulacrum esse dicitur. Cf. Symp. 212 A.

124) Prot. p. 360 D. Lach. p. 195 A: ἡ τῶν δεινῶν καὶ θαρραλέων ἐπιστήμη καὶ ἐν πολέμῳ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ἅπασιν. de Rep. IV. p. 429 B: δύναμις τοιαύτη, ἣ διὰ παντὸς σώσει τὴν περὶ τῶν δεινῶν δόξαν. ib. p. 442 B. cf. III. p. 412 E sq. Gorg. p. 507 B.

125) Earum definitionum σωφροσύνης, quae in Charmide proponuntur, nulla quidquam ab hac virtute alieni affert: cujus vera vis in omnium illarum conjunctione sita est. Id vero potissimum Plato in illo dialogo demonstraturus fuisse mihi videtur, σωφροσύνην non esse veram virtutem, nisi clara scientia boni et mali nitatur. Vertitur autem eadem inprimis in modo servando (— μηδὲν ἄγαν — Phileb. p. 45 D), et, quod idem est, sua agendo. (Charm. p. 161 B. Tim. p. 72 A: εὖ καὶ πάλαι λέγεται τὸ πράττειν καὶ γνῶναι τά τε αὑτοῦ καὶ ἑαυτὸν σώφρονι μόνῳ προσήκειν). Ut aliquis sua agere possit, idem se ipsum noverit oportere, ostendit Alcibiades I. cf. Charm. p. 164 D. — Vid. praeterea de Rep. III. p. 389 D IV. p. 430 D sqq. 442 D. Quod de omnibus virtutibus valet, singulas

Digitized by Google

concentus inprimis cupiditatibus et appetitibus modum excedentibus turbetur, potissimum ad eam animi partem pertinere, qua appetamus, cernique in hujus moderatione et in continentia rationisque in cupiditates dominatione [126]) — Sed hae tres virtutes vel dicam virtutis partes solam spectant ad voluntatem atque internam animi conditionem, quam integram reddunt sanitatisque cusjusdam et pulchritudinis specie ornant. In actione contra, quae ex perfecta illa voluntate oritur, quarta virtus vertitur, quae revera nunquam a ceteris separata esse potest, ἡ δικαιοσύνη. Iustus enim est is, qui scientia ejus, quid et universe et in singulis quibusque rebus gerendis bonum et tamquam finis appetendum sit, et fortitudine ad bona peragenda necessaria rectaque moderatione instructus non solum vult, quae debet, agere, sed vere agit et agendo sinceram suam voluntatem internamque animi perfectionem manifestat [127]).

---

proprie totam virtutem esse, de σωφροσύνῃ docetur in Gorg. p. 507 E sq.

126) Gorg. p. 491 D. Phaedr. p. 237 E. Symp. p. 196 C: εἶναι ὁμολογεῖται σωφροσύνη τὸ κρατεῖν ἡδονῶν καὶ ἐπιθυμιῶν. Hanc angustiorem et, ut videtur, vulgarem notionem (v. Phaed. p. 68 C) illa habet apud Aristotelem; v. Eth. Nic. III. 13 — 15.

127) In sola recta actione Plato virtutem non ponit, sed maxime in interna animi conditione et voluntate. Voluntatem autem, secundum quam, quoad possit, non vere agatur, nullam esse, minime eum latuit. Atque haec in agendo se quasi manifestans virtus ex Platonis sententia justitia esse mihi videtur. Qua de causa nemo injustus esse (ἀδικεῖν) dicitur, nisi qui injuste agit. Iustitia tota quidem nititur interno animi concentu singularemque hujus partium nihil nisi sua agendi voluntate, sed ipsa semper cernitur in agendo ea, quae agi debent (de Rep. IV. p. 442 E sq.), ideoque dicitur ib. p. 433 B id esse, quod reliquis tribus virtutibus vim suam praebeat, et efficiat, ut sint efficaces et salutiferae. Non igitur ea est sine illis, minimeque potest sine scientia revera juste agi. Quod enim in Menone dicitur (p. 97 B) δόξα ἀληθὴς πρὸς ὀρθότητα πράξεως οὐδὲν χείρων ἡγεμὼν φρονήσεως, ab hac sententia non discrepat. Nam recta opinio a scientia non differt nisi βεβαιότητι (Phileb. p. 59 B), quam illa nanciscitur, si rationis cogni-

Agere autem justa ratione nemo potest nisi vivit in societate hominum et in civitate. Ut igitur recta agendi ratio existat, atque homines ad omnium virtutum usum perfectaeque justitiae exercitationem pervenire possint, perfecta civitate opus est ita ad similitudinem perfecti hominis composita, ut omnes ejus vires et partes inter se concinant, et pro sua quaeque natura nihil aliud faciant nisi quod communis solus postulet [128]). At si respublica, in qua quis vivit, non tam perfecte est comparata, qua ratione is agere potest et debet, ut quam beatissimus sit? Postquam vidit, nihil sani inesse eorum studiis, qui

---

tionem asciscens firma redditur (Men. p. 98 A). Quidni quis recte agere possit, qui quomodo certa res agenda esset, opinatione intellexit, etiamsi, cur ita agi debeat, nescit? Et opinatione quidem quadam ducti magni viri praeclaras suas res gesserunt, qui ita omnium scientiam non consecutorum optimi et beatissimi sunt (Phaed. p. 82 A B). Sed beatior etiam et vere justus foret, si quis clara et stabili scientia in agendo duceretur, isque Tiresiae similis esset inter umbras inconstanter volitantes soli sapienti (Meno p. 100). — Omnes autem virtutes, id quod saepe jam monuimus, tam arcte inter se cohaerent, ut nos offendere nequeat, sicubi unam virtutem vel virtutis partem pro tota positam singularumque differentiam parum stricte servatam inveniamus. — Quae interdum apud Platonem tamquam peculiaris virtus et cardinalium, quas vocant, virtutum quinta commemoratur, pietas seu sanctitas (ὁσιότης — v. Prot. p. 330 B sq. Theaet. p. 176 B. Gorg. p. 567 B. de Rep. III. p. 395 C al.) non differt a justitia. Iustus enim simul pius est, quia dum bene et honeste agit, ea facit, quae deus vult ac diligit. Quae sententia jam in Eutyphrone latet.

128) In republica demum absoluta vir absolutus existere potest (de Rep. VI. p. 499 B. cf. Herrmann Gesch. u. Syst. der Plat. Philos. I. p. 68. et Arist. Polit. I. 2: ἄνθρωπος φύσει πολιτικὸν ζῶον καὶ ὁ ἄπολις διὰ φύσιν καὶ οὐ διὰ τύχην ἤτοι φαυλός ἐστιν ἢ κρείττων ἢ ἄνθρωπος). Respublica autem bene se habet, si ratio in ea regnat h. e. regnantes optima ratione et sapientia praediti sunt (de Rep. V. p. 473 C) ac singuli cives non suam sed publicam salutem proxime quaerunt, et solum τὸ κοινὸν curant, id quod inprimis gubernatorum officium est (de Rep. III. p. 412 D. IV. p. 420. sq. V. p. 462. VII. p. 519 E. de Legg. IV. p. 715 B. V. p. 739 C. cf. Arist. Polit. III. 6 fin.). Hac demum ratione suam

Digitized by Google

in rebus publicis versentur, et quisquis ad easdem accedere velit, aut una injustus sit oportere aut solum omnibus istis resistentem ita periturum esse, ut nec civitati nec amicis nec ipsi quidquam inde utilitatis redundet, — hac tristi civitatis conditione perspecta, ex humanorum negotiorum turbis totus ad divinas res confugiet, ac licet a vulgo tamquam vesanus reprehendatur, terrestrium rerum vanitatem contemnens, solo corpore in civitate relicto, animum ad coelum evehet et ad meram idearum contemplationem, et quod ad actionem attinet, in ea vitae ratione acquiescet, qua ipse purus ab injustitia atque improbis factis hanc vitam transigat et ex ea cum bona spe animique tranquillitate discedat. Atque hac quidem ratione haud exigua peregerit, nec tamen summa, quum nactus non sit rempublicam sibi convenientem: in ea enim et ipse perfectior etiam evadet et cum privatis rebus simul publicas servabit, ac quum in patria, nisi civium pravitas divino quodam casu sublata sit, nec forum nec tribunal nec leges neque plebiscita curet, in perfecta civitate suae bonitati respondente admodum volet res civiles gerere atque ab hujus reipublicae curatione et administratione minime se abducet [129]. Quisquis ita quam maxima virtute praeditus in civitate item perfecta dictis et factis imperium exercet, summum humanae perfectionis fastigium attigit, ad quod nemo pervenire potest, antequam respublica ad divini exemplaris imitationem felicissime est constituta [130]. Idem plurimum quidem in divinarum rerum contemplatione et exploratione intimi universitatis consilii versabitur, ad hoc autem, humanae vitae, in quam mera contem-

---

quaeque civitatis pars felicitatem assequetur, quae iis, qui totos se communis salutis studio dant, summa contingit (de Rep. V. p. 465 D sq.). Platonem hoc communis boni studium etiam supra civitatem extendisse et ad mundi universitatem retulisse supra not. 2. vidimus.

129) Loci ex quibus haec plerumque ad verbum expressa sumsi sunt: de Rep. VI. p. 496 C — 497 A. Phaedr. p. 249 D. Theaet. p. 173 D E. de Rep. IX. fin.

130) De Rep. VI. p. 498 E. 499 B. 500 E.

Digitized by Google

platio non cadit, necessitate coactus, quantum suo loco debet et publica salus postulat, rempublicam et cives et se ipsum diriget et conformabit[131]). In quem modum quisquis cum sapientia atque in exercitatione justitiae omnisque virtutis vivit et moritur, ei optima ac beatissima vitae conditio summumque humanum bonum obtigit, cujus eatenus quisque particeps fit, quatenus illud pulcherrimae et optimae vitae exemplar imitatione assequitur[132]). Quod quum totum ex summo omnium rerum fine in divina mente ac voluntate sito effictum sit, atque ipsius dei vita quasi exemplar absolutae bonitatis et justitiae proponat[133]), finis bonorum etiam in eo poni potest, ut deo fiamus, quoad ejus fieri possit, similes. Ad quam similitudinem accedimus, si rerum concentum a divino numine constitutum intelligentes atque in vita nostra imitantes pietatem et justitiam colimus cum sapientia conjunctam[134]). Justissimus autem quisque et deo simillimus beatissimus est, nam justa vitae moderatio non solum per se maxime est expetenda, verum etiam propterea quod eam multa eorum bonorum consequuntur, quae conjuncta cum justitia vitam beatam perficiunt

---

131) De Rep. VII. p. 540 A B. cf. VI. p. 500 D.

132) Gorg. p. 470 E. 507 D. sub fin.: *οὗτος ὁ τρόπος ἄριστος τοῦ βίου, καὶ τὴν δικαιοσύνην καὶ τὴν ἄλλην ἀρετὴν ἀσκοῦντας καὶ ζῆν καὶ τεθνάναι.* Cf. de Rep. X. fin. Optimum et justissimum quemque esse beatissimum, pessimum et injustissimum miserrimum, demonstrare praecipuum est horum librorum consilium, qui sunt de Republica. Vid. I. p. 352 D. IV. p. 427 D. V. p. 472 C. VIII. p. 544 A. IX. p. 580 C.

133) De Rep. II. p. 379 B. 381 B C. Tim. p. 29 A E. de Legg. X. p. 900 D. Theaet. p. 176 C: *θεὸς οὐδαμῇ οὐδαμῶς ἄδικος, ἀλλ' ὡς οἷόν τε δικαιότατος, καὶ οὐκ ἔστιν αὐτῷ ὁμοιότερον οὐδὲν ἢ ὃς ἂν ἡμῶν αὖ γένηται ὅτι δικαιότατος.*

134) Theaet. p. 176 B: — — *ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν· ὁμοίωσις δὲ δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι.* Tim. p. 90 D: — — *ὁμοιώσαντα δὲ τέλος ἔχειν τοῦ προτεθέντος ἀνθρώποις ὑπὸ θεῶν ἀρίστου βίου πρός τε τὸν παρόντα καὶ τὸν ἔπειτα χρόνον.* de Rep. X. p. 613 A.

Digitized by Google

et absolvunt [135]). Si quis enim deo similis est, qui possit talis a simili negligi? [136]) Similis enim simili carus et amicus [137]). Ergo ille carus erit deo, ideoque ei omnia, quae a diis proficiscuntur, quam optime evenient, nec postremo ab hominibus vitae gloriam et victoriae quasi insignia non reportabit [138]). Praesertim voluptatis purissimae et maxime jucundae nemo fit particeps nisi qui studio sapientiae et ex ea manantis justitiae tenetur [139]). Neque quidquam majorem utilitatem affert [140]), quam justitiae et honestatis usus, qui, ut id, quod in humana natura optimum et divinum est [141]), dominetur, efficit, ejusque imperio feras illius partes subjicit. Nemini enim expediet quam plurimum auri injuste acquisisse, si ita simul optimam et divinissimam sui partem improbissimae atque impurissimae servire cogens se ipsum depravaverit [142]). Neque, qui injuste faciens latet, minus damni sibi contrahet, immo multo plus accipiet. Ejus enim, qui non latens castigatur, ferina et agrestis pars sedatur et justo imperio subjicitur, mansueta autem liberatur atque universus animus quasi sanatur praestabilioremque habitum accipit: qui vero poenas non dat, pravior etiam evadit [143]). Si quis igitur,

---

135) Iustitiam, ait Socr. de Rep. II. p. 358 A, tale quid esse, *ὃ καὶ δι' αὑτὸ καὶ διὰ τὰ γιγνόμενα ἀπ' αὐτοῦ ἀγαπητέον τῷ μέλλοντι μακαρίῳ ἔσεσθαι.*

136) De Rep. X. p. 613 B.

137) Lys. p. 214. B. Gorg. p. 510 B. de Legg. VIII. p. 837 A.

138) De Rep. X. p. 612 B — 613. Phileb. p. 39 E sq. Cf. de Rep. VI. p. 501 B. de Legg. IV. p. 716 C: *ὁ μὲν σώφρων ἡμῶν θεῷ φίλος, ὅμοιος γάρ.*

139) De Rep. IX. p. 580 D — 588 A. de Legg. V. p. 734 D.

140) De Rep. IX. p. 588 B sqq.

141) De Rep. VII. p. 518 E. IX. p. 589 D E. 590 D. Tim. p. 90 A. Vid. etiam loci not. 114. citati et Arist. Eth. Nic. X. 7.

142) De Rep. IX. p. 589 D E. cf. de Legg. V. p. 728 A. XI. p. 913 B, ubi dicitur, qui thesaurum non sibi depositum non sustulerit, majorem thesaurum sibi in animo servasse, *δίκην ἐν τῇ ψυχῇ πλούτου προτιμήσας ἐν οὐσίᾳ κεκτῆσθαι πρότερον.*

143) De Rep. IX. p. 591 A B. cf. Gorg. p. 472 E sqq.

Digitized by Google

prae ceteris semper studens animi perfectioni, cum sapientia et temperantia et justitia vixit, simulque corporis vitaeque externae rationes ita instituit et temperavit, ut animi concentui responderent [144]), non solum in hac vita beatissimus fuit, sed etiam post mortem summa praemia adipiscetur, absolutaeque immortalitatis particeps fiet, quam consequitur quisquis fini hominibus omnique rerum naturae proposito convenienter vitam transegit [145]). Nunquam enim ejus animus exstinguetur, sed corpore relicto fruetur sempiterna et absoluta beatitate, ab omnibus malis libera, ad qualem nemo ante animi a corpore discessum et quasi e carcere liberationem pervenire potest [146]). Nec ea immortalitatis pars illi non obtinget, quae memoria hominum nititur, utpote qui talem virum monumentorum atque inferiarum honoribus semper prosequentur [147]). Itaque aeternitatem spectantes, quacum hujus vitae spatium comparatum fere nullum esse videtur [148]), et universi

---

144) De Rep. IX. p. 591 C. sq. de Legg. V. p. 728 E sq.

145) Vid. extremus sermo, quem tamquam a Diotima acceptum Socrates refert in Sympos. Ibi p. 212 A. dicitur, si quis ad summam scientiam, ad ipsius scilicet divini et simplicis pulchri intuitum escenderit (p. 211 C. cf. de Rep. VI. p. 504 E et supr. not. 118), hujusque cognitione ductus non simulacra virtutis sed veram virtutem exhibuerit, fieri non posse, quin is deo carus sit ac, si quisquam hominum, immortalis. cf. de Rep. VI. p. 498 C. Tim. p. 42 B 90 B C. Notandum autem est, licet nonnunquam, velut in Phaedon. p. 114 C, Plato ita loquatur, quasi juberet eam solam ob causam sapientiae et virtuti studere, ut praemia justis in insulis beatorum proposita reportaremus, eundem docuisse, non solum praemiorum illorum causa, verum etiam propter se ipsam justitiam esse exercendam. Vid. not. 135.

146) Gorg. p. 523 sqq. Phaedo. De Rep. X. p. 614 sqq. Corpus esse quasi carcerem animi ideoque hunc veram libertatem et perfectam beatitudinem non, antequam a corpore liberatus sit, assequi, docetur inpr. in Phaedon. p. 62 B. sqq. 67 D. 81 A. 82 E. 84 B. 114 B C et in locis supr. not. 115 laudatis.

147) De Rep. VII. p. 450 B. cf. de Legg. IV. p. 721 B C. Symp. p. 208 C D.

148) De Rep. VI. p. 498 D. X. p. 608 C.

Digitized by Google

temporis omnisque essentiae finem et consilium animo complectentes [149]) neque mortem pro malo ducemus [150]) neque quidquam aliud nisi quod illi consilio vel dei voluntati repugnet [151]).

Atque haec quidem sunt, quae de humanorum bonorum fine optimaque vivendi et agendi ratione ex Platonis sententia disserere volui, quae omnia, opinor, quisquis secum revolverit, quod saepe dictum est, Platonem omnes graeci ingenii radios quasi in centrum quoddam collegisse, hujus de summo bono doctrinae exemplo confirmatum videbit. Nullum enim ex iis summi boni elementis, quae veteres Graeci pro expetendis duxerunt, a Platone omissum, ita vero definitum eoque loco positum est, ut cum reliquis conjungi et unum concinnum quasi corpus efficere posset, in quo suum quaeque pars mo-

---

149) ib. VI. p. 486 A: *ᾧ οὖν ὑπάρχει διανοίας μεγαλοπρέπεια καὶ θεωρία παντὸς μὲν χρόνου, πάσης δὲ οὐσίας, οἷόν τε οἴει τούτῳ μέγα τι δοκεῖν εἶναι τὸν ἀνθρώπινον βίον;* Phaedo p. 107 C: *εἴπερ ἡ ψυχὴ ἀθάνατός ἐστιν, ἐπιμελείας δὴ δεῖται οὐχ ὑπὲρ τοῦ χρόνου τούτου μόνον, ἐν ᾧ καλοῦμεν τὸ ζῆν, ἀλλ' ὑπὲρ τοῦ παντός.*

150) V. Phaedo. Gorg. p. 511 sqq. de Legg. V. p. 727 C.

151) Crito p. 54 B: *περὶ πλείονος ποιοῦ μήτε τὸ ζῆν μήτε ἄλλο μηδὲν πρὸ τοῦ δικαίου*, itemque Socrates praecipit in Apolog. p. 28 D, neminem debere unquam reputare *μήτε θάνατον μήτε ἄλλο τι μηδὲν πρὸ τοῦ αἰσχροῦ.* Malum autem et turpe (*κακὸν καὶ αἰσχρὸν*) est *τὸ ἀδικεῖν καὶ τὸ ἀπειθεῖν τῷ βελτίονι καὶ θεῷ καὶ ἀνθρώπῳ* (ib. p. 29 B). Quid malum, quid summum malum, si de tali loqui liceat, ex sententia Platonis sit, in nostra de summo bono instituta disputatione peculiariter non explicavimus, quia intellecto bono, quid contrarium sit, per se patet. Si quis autem velit definitam de hac re Platonis sententiam accipere, legat Tim. p. 41 B: *τό γε μὴν καλῶς ἁρμοσθὲν καὶ ἔχον εὖ λύειν ἐθέλειν, κακοῦ.* Quod universo rerum concentui et fini convenit et respondet, bonum est; quidquid hunc concentum turbat atque aliquatenus solvit et perdit (*τὸ λύον* et *τὸ ἀπολλύον* — vid. supr. p. 5) malum. Quum autem omne concinnum e materia quadam et finiente forma mixtum sit, materia, quae formationi et finitioni natura sua resistit atque ubi jam finita et in harmonicam formam redacta est, semper quasi studet harmoniam solvere (cf. Politic. p. 273 B), principium est mali. Vid. not. 63 et 64.

Digitized by Google

dum tenens cum toto se ipsam servaret. Quum igitur antiqua illa Delica inscriptio (vid. Introd. not. 15) aliud tamquam pulcherrimum et maxime laudabile, aliud maxime optabile et optimum, aliud jucundissimum praedicavit, Plato docuit, beatitudinem in omnium humanae naturae virium apta et concinente perfectione sitam simul esse jucundissimum et optimum et pulcherrimum. Neque illam, quam antiquissimorum Graecorum de summo bono fuisse diximus opinionem rejecit, sed ita excoluit et ad altiorem vim evexit, ut Jonicae gentis alacritatem saepe ad levitatem nimiumque voluptatis studium inclinantem Dorica gravitate temperaret, nec vitae jucunditatem hilaritatemque omnino aspernans, pulchri amorem omnium Graecorum animis prae ceteris gentibus praecipue insitum immortalitatisque studium ad ea, quae vere pulchra essent, aspectanda veramque immortalitatem appetendam transferret.

Quibus expositis ad umbilicum jam pervenissemus, nisi, ut et promissis staremus et pleno illustrandi officio fungeremur, de universae Platonis a nobis explicatae doctrinae veritate et constantia sententiam pronuntiare nos oporteret.

Cap. VI.

Difficile est antiqui alicujus philosophi sententiam ita aperire et interpretari, ut, quid docere verbisque suis exprimere voluerit, clare intelligatur: interpretis autem munere difficilius, quae vere et quae falso docuerit, discernere atque exponere. Quam ob causam permulti post studia antiquitatis redintegrata fuerunt, qui quum aliorum philosophorum tum Platonis scripta studuerunt interpretari, pauci, qui ejus placita examini subjecerunt, et, utrum haec vel illa recte statuerit necne, dijudicare conati sunt.[152]) Nec vero fieri potuit, nec jam, opinor, pot-

152) Mira est multorum interpretum inconstantia, qui, tametsi, ut Stallbaumius in Prolegg. ad Platon. Parmen. p. 125, se nullas nisi interpretis partes agere et aperire tantum scriptoris mentem, utrum autem recte senserit necne, aliis examinandum relinquere profitentur, vel, sicutt Heusdius in Init. Philos. Platon. p. 501, interpretandi se Platonis non laudandi aut defendendi partes susce-

Digitized by Google

est, ut omnia Platonis dicta tali modo excutiantur, ut, quid iis insit veri et falsi, penitus perspicatur. Qua enim mensura metiamur ejus doctrinam? Interior animi sensus, quo plerumque vera a falsis dijudicamus, saepe fallitur. Nisi vero ipsi clare scimus, quo modo quaedam res se habeat, qui dicere possumus, rectane quis de ea docuerit? Nondum autem omnes quaestiones a Platone propositas ad prorsus perfectam solutionem adductas esse atque ita expeditas, ut, quaeque ipse cognoscere studuerit, ea nos omnino cognita habere gloriari possimus, nemo hodiernae philosophiae gnarus negabit, nisi forte sunt, qui philosophiam ultimum fastigium jam attigisse et exigua tantum quarundam particularum perfectione egere opinentur. Quum quondam philosophia, discrimine, in quo nunc versari videtur, superato, talem formam sibi comparaverit, qualis omnibus animi humani desideriis satisfaciat, tum demum neque multitudini suspecta neque eruditis amplius erit invisa, nec quisquam ab alio petet antiquorum philosophorum interpretationem nisi a philosopho, qui ipse veri cognitione imbutus de alienarum sententiarum veritate judicet [153].

---

pisse affirmant, tamen in quavis propemodum scriptionum suarum pagina judicis partes ita sustinent, ut Platonis incredibilem suavitatem, gravitatem, sublimitatem, subtilitatem laudibus ad coelum efferant, eumque haec illave rectissime, verissime, acutissime dixisse, praedicent. Laudes declamare facile est, difficile cum ratione reprehendere. Id autem, quod cum majore difficultate simul plus pretii habet, falsas opiniones verissimis et subtilissimis istis placitis immixtas indagare, aut si forte nihil falsi Platonicae doctrinae inesse putatur, ejus causam contra reprehendentes judices, veluti Aristotelem, defendere, isti viri κομψοὶ vix ac ne vix quidem tentant.

153) Tennemannus primus e recentioribus philosophis singula Platonis placita diligenter examinavit eorumque errores ostendere studuit, quorum nimirum maximus philosopho Kantiano in eo situs esse videbatur, quod omnes illius aetatis philosophi res ipsas esse cognoscendas opinati essent (v. System der Plat. Philos. II. p. 8. p. 244 al.) — Ceterum eum, qui necessaria linguae et rerum gestarum scientia non satis instructus meri ingenii vi aliquem philosophum interpretari conetur, philosophicum interpretem esse nego.

Digitized by Google

Haec mihi monenda fuerunt, ne judicis munus id opinans suscepisse videar, me hoc posse sufficienter explere. Nec tamen ea ratione, qua ex hodierna philosophiae conditione examen philosophiae Platonicae instituere licet, — et quidni liceat? immo ipsa philosophia postulat, ut antiqui philosophi iterum iterumque revolvantur eorumque sententiae summo studio illustrentur et examinentur, nec quisquam in ejusmodi studiis probe versans non aliquid momenti affert ad illam veritatem assequendam, — neque illa, inquam, ratione hoc loco tale examen pro viribus incipere volui. Nam non magis doctrinam de summo bono, quam ullam Platonicae philosophiae partem, accurato examini quisquam aliter subjicere poterit atque ita, ut universum systema omnesque ejus partes simul excutiat. Ut autem ad tantum inceptum cum fructu aliquo exsequendum vires meae sufficerent, tamen id requireret peculiaris libri spatium. Itaque pauca tantum, quae, ut justum fiat de Platonis doctrina a me enarrata judicium, non negligenda esse mihi videntur, afferam, atque ea inprimis in lucem protrahere studebo, quae adversus magistri de summo bono ejusque partibus placita Aristoteles disputavit.

Primum loquamur de eo vitae beatae momento, quod primo explicavimus. De voluptate enim quid Plato senserit, uti gravissimum fuit ad ejus de summo bono sententiam perspiciendam exponere, sic omne fere de hac faciendum judicium ea disputatione nititur, quae de voluptatis et natura et pretio a Platone praesertim in Philebo est instituta et a nobis in cap. II. illustrata. Ut vero de hujus veritate judicare possimus, si usquam, Aristotelis scripta nobis sunt adeunda, in quibus non modo in ipsius voluptatis vim diligenter inquisitum est, sed etiam aliorum, et, ut videtur, inprimis Platonis sententiae in examen sunt vocatae. Fortasse est qui dubitet, ad quos librorum nomine Aristotelis inscriptorum se conver-

---

Sed illa scientia quasi materia tantum est, sine qua pulchrum opus existere nequit, per quam vero non existit. Interpretationis dignitas maxime pendet ex philosophico ingenio, cujus prout quisque particeps est, melius aut deterius interpretatur.

Digitized by Google

tat, ut germanam ejus de voluptate doctrinam accipiat. Verum nos hic id non agimus, ut, quid placuerit Aristoteli, enarremus, sed rem spectamus, ac quae in Aristotelicis libris de voluptate bene disputata reperimus, adhibemus ad judicium de Platone faciendum, non curantes, utrum ab ipso Aristotele scripta aut dictata, an e discipuli alicujus ingenio doctrina Aristotelica nutrito profecta sint. Quibus expositis et inter se comparatis spero fore, ut ad illam quoque quaestionem dissolvendam aliquid collatum sit. Tres autem leguntur in ethicis Aristotelicis disputationes de voluptatis natura atque ad vitam beatam momento institutae, quarum copiosissima ea est, quae in decimo libro Ethicorum Nicomacheorum (cap. 1—5) invenitur. Hanc primum inspiciamus, quo facto etiam facile apparebit, quae ratio inter eam intercedat et reliquas, quarum altera in iisdem Ethicis Nicom. sub finem libri septimi (cap. 12 sqq.), simul autem cum toto libro septimo et duobus proxime antecedentibus in Ethicis Eudemeis locum tenet, quorum liber quartus et quintus et sextus ne verbo quidem differunt ab Ethicor. Nicom. libro quinto sexto septimo, altera in Magnis, quae vocantur, Moralibus (II. 7) legitur.[154])

154) Docte et subtiliter Spengelius disputavit „über die unter dem Namen des Aristoteles erhaltenen ethischen Schriften", quam commentationem legit in academia Monacensi mens. April. a. 1841, ibique professus est (p. 21 sq.) suam „aus wiederholter Forschung entstandene Ueberzeugung, dass die Nikomachische Ethik die ächte Sittenlehre des Arist. enthalte, und unbedenklich wie dem Inhalte, so der Form nach von ihm ausgehe, die Eudemische aber, an Umfange nicht viel geringer, von seinem Schüler, Eudemus dem Rhodier, verfasst, jene in Gestalt einer Umarbeitung mit eigenen einzelnen eingewebten Fragen und Lösungen wiedergebe, wie derselbe auch andere Schriften seines Lehrers auf dieselbe Weise bearbeitet hat, ferner die drei fraglichen Bücher (Nicom. V. VI. VII. Eudem. IV. V. VI.) wahrscheinlich den Nikomachien zukommen, in den Eudemien aber ausgefallen sind, die dritte endlich, die kleinste aber sogenannte grosse Ethik nur einen spätern Auszug nicht der Nikomachien, sondern der Eudemien bildet" — (p. 42) „zugleich mit Benutzung der Nikomachien, aber von sehr verständiger Hand,

In illo, quem copiosissimum esse diximus, tractatu, paucis de rei gravitate praemissis, primum, ut mos est Aristotelis, quae alii de voluptate dixerant, examinantur, deinde propria auctoris, quem ubique nominabo Aristotelem (praesertim quum etiam esse persuasum mihi sit), sententia profertur. Et primum quidem Eudoxus refutatur (c. 2), qui censuerat voluptatem esse summum bonum (τἀγαθόν). Cujus argumentis nihil effici Aristoteles Platonem laudans (vid. not. 45) ostendit, nisi voluptatem esse bonum (ἀγαθόν), unum scilicet ex singulis bonis [155]. Tum (inde a p. 1172 B 35) per totum cap. 2. hanc sententiam contra eos, qui contenderant voluptatem non esse bonum (οὐκ ἀγαθὸν sive τῶν ἀγαθῶν — vid. lin. 36 et pag. sq. A, 14), eam igitur in bonis numerandam esse negaverant, ita defendit, ut eorum argumenta diligenter refellat, simul autem concedat, non omnes voluptates esse bonas (vid. extr. cap.). Ex quibus argumentis unum (p. 1173 A 6) scimus e libr. VII. c. 14 esse Speusippi, reliqua Platonis certe esse nequeunt, quem voluptatem a bonis non segregasse vidimus et Aristoteles ipse minime ignorat, quum eod. cap. argumentationem laudet, qua Plato inde effecerit voluptatem summum bonum non esse, quod ea tantum unum sit e bonis [156]. — Quum igitur haec refutatio

---

welche das wesentliche hervorzuheben und manches im Originale minder klar gegebene deutlicher zu machen wusste, daher einfach und verständlich, jedoch genau dem Gange der Eudemien folgend und alle Zeichen eines spätern Ursprunges tragend." Cui judicio equidem prorsus assentior.

155) Accurate discernit Arist. ἀγαθὸν et τἀγαθόν. V. Analyt. Pr. I. 40: ἐπεὶ δ' οὐ ταὐτόν ἐστι τὸ εἶναι τὴν ἡδονὴν ἀγαθὸν καὶ τὸ εἶναι τὴν ἡδονὴν τὸ ἀγαθόν, οὐχ ὁμοίως θετέον τοὺς ὅρους, ἀλλ' εἰ μέν ἐστιν ὁ συλλογισμὸς ὅτι ἡ ἡδονὴ τἀγαθόν, τἀγαθόν, εἰ δ' ὅτι ἀγαθόν, ἀγαθόν.

156) Omnia argumenta, quibus illa sententia, ex qua nulla voluptas bonam sit, fulciri X. 2 et VII. 12 narretur, Speusippi fuisse, cui Spengelius, qui in appendice ad libr. laud. de his capp. peculiariter disseruit, ea tribuere non dubitat (p. 90. 94), equidem non credo. Multa enim eorum Platonis, qui accurate puras et

Digitized by Google

ad Platonem non pertineat, singulae ejus partes hic nobis non sunt excutiendae. Munit autem Aristoteles ea sibi viam ad veram sententiam de voluptatis natura, unde omne de ejus pretio judicium pendet. Demonstrat enim jam in hoc capite nec minus subtiliter in tertio (ubi pretii rationem non habens in solam naturam voluptatis inquirit), voluptatem neque *γένεσιν* esse neque *κίνησιν*. Ne hac quidem demonstratione eum Platonis sententiam refellere voluisse, nemo, qui nobis concessit, Platooem non sensisse, voluptatem esse *γένεσιν* aut *κίνησιν*, poterit negare, nisi forte quis existimare mavult, Aristotelem, quid magister senserit, non recte perpexisse ac male intellectam sententiam hic impugnasse [157].

---

impuras voluptates discreverat, discipulo plane indigna sunt ac talia, qualia a vulgaribus voluptatis impugnatoribus etiam nostra aetate proferuntur. Vulgi enim non est discernere (ut ait Ar. X. 1). Et cur ea omnia unius viri, aut omnino philosophorum quorundam esse oportet? Nonnulla sane videntur esse a Platonicis usurpata, velut ex VII. 12 relatis primum (*πᾶσα ἡδονὴ γένεσίς ἐστιν εἰς φύσιν αἰσθητή, οὐδεμία δὲ γένεσις συγγενὴς τοῖς τέλεσιν* — vid. not. 33) et quintum (*τέχνη οὐδεμία ἡδονῆς· καίτοι πᾶν ἀγαθὸν τέχνης ἔργον*), quod ex Platonis Gorgia fluxisse videtur (ubi omnes *παρασκευαί*, quae voluptatem, non bonum, spectent, *τρίβαι καὶ ἐμπειρίαι*, non vero artes esse dicuntur — vid. p. 463. 465 A. 500), atque illud, quod X. 2. p. 1173 A 15 refertur (*λέγουσι δὲ τὸ μὲν ἀγαθὸν ὡρίσθαι, τὴν δ' ἡδονὴν ἀόριστον εἶναι, ὅτι δέχεται τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον* — vid. not. 23), et denique quod proxime sequitur (*τέλειον δὲ τἀγαθὸν τιθέντες, τὰς δὲ κινήσεις καὶ τὰς γενέσεις ἀτελεῖς, τὴν ἡδονὴν κίνησιν καὶ γένεσιν ἀποφαίνειν πειρῶνται*). Contra Platonicos igitur Aristotelem pugnare, verisimile est, Platonem ipsum in libr. VII. c. 12 sqq et X. 1—5 directe impugnari, id quod ad unum omnes Philebi et Ethicor. Nicomacheorum interpretes opinati sunt, et primus Spengelius negavit, omnino non arbitror.

157) Zellerus, qui vulgarem opinionem sequens, sine ullo dubio, ait (Platonische Studien p. 281), ipsum Platonem, inprimis ejus Philebum his capitibus respici, eo processit, ut haec locutus sit (p. 283): Auch in dieser Kritik, selbst wenn sie sich nicht ausschliefslich auf die angeführten Platonischen Schriften bezieht, zeigt sich die Befangenheit, mit welcher Aristoteles so oft Ansichten seines Lehrers betrachtet. Denn so treffend auch die meisten sei-

Digitized by Google

Nobis quidem nihil aliud ante Aristotelem de voluptate scripti superest nisi Philebus et quae in ceteris Platonicis dialogis de ea sunt disputata, sed fuit tunc quaestio de voluptatis vi et natura summo studio agitata atque a Socraticis et Platonicis philosophis aut in scriptis tractata aut certe in scholis et sermonibus. Cyrenaici jam docuerant voluptatem esse quendam motum, et quam verisimile sit, Platonicos eandem generatione definiise, in not. 33. diximus. Cur igitur putetur necesse est, Plato, qui hanc sententiam accepit tantum ab aliis (vid. supr. p. 64), ad suum autem usum convertit, nec proprie ipse tuitus est, tamquam ejus auctor et patronus ab Aristotele impugnari?

Verum quamquam hic mihi noluisse videtur Platonem perstringere, sed quum alios fortasse tum Platonicos sua aetate de voluptate philosophantes, tamen, dum suam doctrinam exponit, Platonis sententiam tacite evertit aut correxit. Postquam enim demonstravit, voluptatem non esse generationem neque motum, tum (cap. 4) ad sensuum rationes attendens ibi existere voluptatem dicit, ubi, sensu et eo, quod sensu, velut oculo, percipiatur, bene se habentibus et inter se concinentibus, fiat absoluta sensus operatio (ἐνέργεια); cadere enim voluptatem in omnem sensus perceptionem nec minus in mentis cogitationem, atque ut quaeque aut sensus aut mentis operatio sit absolutissima, ita eam esse jucundissimam. Quum igitur, ubicumque operatio absoluta et perfecta sit, voluptas compareat, hanc quasi finem esse operationis eamque semper consequi et absolvere. Quae quum ita esse Aristoteles statuat, judicat voluptatem neque esse generationem aut motum, neque (id quod Platoni placuit) ex iis oriri, sed in operatione eam ponit, neque ullam, ait, existere voluptatem

---

ner Einwendungen sind, und so sehr seine eigene Erklärung der Lust vor der Platonischen den Vorzug verdient, so werden doch die Aeusserungen Platon's im Ganzen hier schief aufgefasst. — Quin relinquimus istam opinionem, quae nullis nititur firmis argumentis, ac virum et ingenio et diligentia omnibus praestantem in hac causa liberamus culpa perversae intelligentiae?

Digitized by Google

sine operatione (c. 5. p. 1175 A 20). Verumtamen, quamquam semper cum perfecta operatione sit conjuncta nec unquam a tali separata, qua conjunctione quidam decepti eam ab operatione non distinxerint, voluptatem non esse ipsam operationem, diligenter et rectissime monet [158]).

---

158) C. 5. p. 1175 B 32: *αἱ δὲ (ἡδοναί εἰσι) σύνεγγυς ταῖς ἐνεργείαις, καὶ ἀδιόριστοι οὕτως ὥστ᾽ ἔχειν ἀμφισβήτησιν εἰ ταὐτόν ἐστιν ἡ ἐνέργεια τῇ ἡδονῇ. οὐ μὴν ἔοικέ γε ἡ ἡδονὴ διάνοια εἶναι οὐδ᾽ αἴσθησις· ἄτοπον γάρ· ἀλλὰ διὰ τὸ μὴ χωρίζεσθαι φαίνεταί τισι ταὐτόν.* Unus ex his quibusdam viris fuisset ipse Aristoteles, si eum tractatum de voluptate, qui hodie pars est libri septimi Ethicor. Nicom., scripsisset. In quo voluptas definitur esse *ἐνέργεια τῆς κατὰ φύσιν ἕξεως ἀνεμπόδιστος* (c. 13 p. 1153 A 14), et ubique ita de ea disseritur, quasi sit ipsa *ἐνέργεια*, atque ab hac definitione argumenta sumuntur (v. ib. lin. 10. 25. B. 10. pag. sq. B. 27.). Aut igitur hunc tractatum aut eum, qui est in libro X, in Ethica Nicom. inepte esse insertum, prorsus necessario consequitur: quod, etiamsi nulla inter eos esset differentia, nemo, qui haec Ethica vel obiter perlustraverit, negabit, nisi forte opinatur, posse aliquem in eodem scripto de eadem re bis ita disputare, ut rem jam antea fuse tractatam, perinde quasi nihildum de ea dixerit, iterum in disceptationem vocet. Alterutram igitur disputationem ab Ethicis Nicom., alioquin bene compositis et connexis, tamquam alienam esse exterminandam, manifestum est: sed, utra, dubitare licet. Panschius (de Ethicis Nicomacheis genuino Aristotelis libro. Bonn. 1833. p. 40 sqq.) posteriorem excludi vult, eamque ne Aristotelis quidem esse sed Nicomachi filii, suspicatur. Sed ejus rationes partim aperte falsae sunt partim rem non probant. Spengelius in laudata commentatione priorem rejicit (ibique p. 97 inclinat ad hanc partem libri VII. Eudemeis Ethicis adjudicandam). Quam sententiam integro assensu excipio, sed nondum satis evidenter probatam esse, arbitror. Unam rationem mihi hic liceat ascribere, qua sola jam mihi videtur lis dijudicari. Differunt inter se hae duae disputationes in re, et de voluptatis natura diversas sententias ferunt. Uterius igitur sententiam ceterae Ethicorum Nicom. partes et inprimis genuina decimi libri capita, quae utramque consequuntur et alterutra niti necesse est, tuentur, ea huic operi necessario adjudicanda est. Atqui in libr. X. cap. 7 pag. 1177 B. 20. dicitur mentis operatio sibi propriam habere voluptatem, quae augeat operationem. Quod placi-

Quod quum et ille tractatus voluptatis, qui in Eth. Nicom. VII. 12 — 15 legitur, et is, qui Magnis Moralibus inest (nam hic quoque docet, voluptates esse operationes — v. p. 1024 B. 28. et pag. sq. B. 25), negligant, ideoque falso aut certe indiligenter voluptatis naturam definiant, his missis factis so-

---

tum non solum clarissimis verbis voluptatem ab operatione, quacum conjuncta sit, distinguit, verum etiam sine dubio his capitis 5. verbis nititur (p. 1175 A. 30): *συναύξει γὰρ τὴν ἐνέργειαν ἡ οἰκεία ἡδονή· κτλ.* — Quid contra in libro VII. de eadem re dicitur? Nihil nisi quod c. 13. p. 1153 A. 20. affirmatur, nullum habitum (*ἕξιν*) a sua voluptate, quippe a sua operatione (nam voluptatem scriptor modo dixerat esse habitus alicujus operationem), inhiberi, sed ab alienis, quum ex. gr. cogitandi voluptates efficiant, ut amplius cogitetur. — Porro diversae sententiae de voluptatis natura latae gignunt quandam diversitatem judicii de ejus pretio. Si ipsa operatio est voluptas, finis bonorum nihil est nisi voluptas. Quare Eth. Nic. VII. 14, postquam dictum est, beatitatem esse perfectam quandam et impedimento vacantem operationem, hanc autem esse voluptatem, prorsus constanter additur, quandam voluptatem esse *τὸ ἄριστον*. Contra X. 5. init. dubitatur, utrum voluptas, an operatio sit ultimus finis. Verba haec sunt: *πότερον δὲ διὰ τὴν ἡδονὴν τὸ ζῆν αἱρούμεθα ἢ διὰ τὸ ζῆν τὴν ἡδονήν, ἀφείσθω ἐν τῷ παρόντι. συνεζεῦχθαι μὲν γὰρ ταῦτα φαίνεται καὶ χωρισμὸν οὐ δέχεσθαι· ἄνευ τε γὰρ ἐνεργείας οὐ γίνεται ἡδονή, πᾶσάν τε ἐνέργειαν τελειοῖ ἡ ἡδονή.* Quam quaestionem hic ab Arist. omissam tractavit Alexander Aphrodisiensis, germanissimus Peripateticus et Aristotelis explanator *κατ' ἐξοχήν*, in Quaestt. Naturall. et Morall. IV. 23 (ed. Spengel. Monach. 1842 p. 274 sqq.), isque accurate docuit, operationem nullam esse voluptatis causa expetendam, sed hanc propter operationem, quae efficiat voluptatem (sit *ποιητικὸν ἡδονῆς* — cf. supr. not. 33). Operatio igitur optima est ultimum (*τὸ ἄριστον*) ac per se maxime expetendum, et voluptas conjuncta cum ea per accidens. Atque hanc veram Aristotelis sententiam fuisse, apparet ex Ethic. Nic. X. 6 sqq., ubi (dum illic dicta est beatitas esse optima operatio, optimam operationem esse voluptatem, ergo voluptatem esse summum bonum) ille docet, summum bonum ac perfectam beatitatem esse optimam operationem, eique immixtam esse voluptatem (cap. 7) et optimam operationem esse jucundissimam. Quae esse voluptas non dicitur, immo aperte ab hac discernitur.

Digitized by Google

Iam teneamus optimam de voluptate in libro X. Ethic. Nicom. propositam disputationem.

Ergo siquidem Plato voluptatem esse ipsam generationem noluit, totam differentiam, quae inter Aristotelis et Platonis de voluptatis natura doctrinas intercedat, in eo verti censeo, quod alter statuat, omnem voluptatem oriri e generatione quadam vel motu, hujusque esse internam perceptionem, alter illam ex quadam operatione, sicut venustatem ex aetatis flore, redundare contendat. Quae differentia sane quam magna est, ac, si a nobis bene observata erit, multum nos adjuvabit in judicio de Platonis in nostro opere explanata doctrina faciendo. Hic enim, quoniam nondum scivit generationem et motum [159]) ab operatione discernere, crimen inconstantiae effugere non poterit. Aristoteles autem operationis (qua voce semper significo ἐνέργειαν) notionem acute et clare definivit, nec ulla re magis meritus est de philosophia, quam quod hanc notionem excogitavit et ad omnes philosophiae partes adhibuit. Operatio ex ejus sententia non est generatio, nam haec habet principium et finem, atque est transitus alicujus rei (μεταβολή — vid. Phys. V. 1) ex statu, ubi non est, in statum essentiae, ita ut id, quod generetur, nondum sit, nec vero omnino non sit: jam enim fit et generatur. Haec autem duo momenta in operatione distingui non possunt, neque prius et posterius in ea locum habet. Simulatque enim aliquis incepit videre, jam vidit et finem assecutus est: principium videndi jam est ipse visus, qui est finis operationis oculorum. Itaque finis et principium hic coalescunt, et operatio totum quid est, quod non per varia temporis momenta absolvitur, sed in uno momento incepit et absolutum

159) Aristoteles γένεσιν quoque et κίνησιν accurate distinguit, quarum illa e quatuor μεταβολαῖς (hoc enim commune nomen est) prima, ἡ κατὰ τὴν οὐσίαν, est; κινήσεως autem nomine plerumque solae reliquae significantur, αἱ κατὰ τὸ ποῦ, κατὰ τὸ ποσὸν, κατὰ τὸ ποῖον. Vid. Phys. V. 1. Metaph. *K*, 11 et Trendelenb. ad Arist. de Anima I. 3, 3. Platonem voluptatem non solum in γενέσει, sed etiam in κινήσει posuisse, not. 46 monuimus.

Digitized by Google

est. Eandem ob causam etiam a motu ea est diversa. Motus enim est transitus rei ex altero statu in alterum. Quamdiu igitur motus fit, nondum ad hunc alterum statum, qui est motionis finis, perventum est. Ergo omnis motus, quatenus est motus, imperfectus est. Ex. c. aedificatio est motus lapidum, lignorum, cet., cujus finis est res (ἔργον), quae aedificatur. Aede exstructa motus ad finem pervenit, simul vero non amplius est[160]). Operatio autem finem non extra se habet, quem assecuta desinat, neque rem quandam extra se positam appetit, sed ipsa jam est res, quae agitur, et finis[161]). Atque, ut diximus, ubi perfecta et absoluta est operatio, ex Aristotelis sententia voluptas locum habet[162]).

Iam respiciamus ad Platonem, cui voluptas cum generatione perfectionis conjuncta esse eamque comitari visa est.

---

160) Eth. Nicom. X. 3 init: ἐν χρόνῳ πᾶσα κίνησις καὶ τέλους τινός, οἷον ἡ οἰκοδομικὴ (sc. κίνησις) τελεία, ὅταν ποιήσῃ οὗ ἐφίεται.

161) Metaph. Θ, 8 p. 1050. A. 9: τέλος δ' ἡ ἐνέργεια. ib. lin. 21: τὸ γὰρ ἔργον τέλος, ἡ δὲ ἐνέργεια τὸ ἔργον. ib. 6 p. 1048. B. 28: πᾶσα κίνησις ἀτελής, ἰσχνασία, μάθησις, βάδισις, οἰκοδόμησις· αὗται δὲ κινήσεις, καὶ ἀτελεῖς γε. οὐ γὰρ ἅμα βαδίζει καὶ βεβάδικεν, οὐδ' οἰκοδομεῖ καὶ ᾠκοδόμηκεν, οὐδὲ γίγνεται καὶ γέγονεν, ἢ κινεῖται καὶ κεκίνηκεν· ἀλλ' ἕτερον καὶ κινεῖ καὶ κινεῖται. ἑώρακε δὲ καὶ ὁρᾷ ἅμα τὸ αὐτὸ, καὶ νοεῖ καὶ νενόηκεν. τὴν μὲν οὖν τοιαύτην ἐνέργειαν λέγω, ἐκείνην δὲ κίνησιν. — Notionem ἐνεργείας uberius, quam hic fieri potuit, explicaverunt Trendelenburgius in commentario ad Arist. de Anima p. 295 sqq. et Franciscus Biese in libro: Die Philosophie des Aristoteles. Vid. inpr. ejus vol. I. p. 479 not. 4.

162) Ex his modo expositis apparet, quam falsum sit, quod Schleiermacherus dixit — Kritik der bisherigen Sittenlehre ed. alt. p. 174: „Aristoteles begleitete die Lust nicht durch das allmälige Fortschreiten einer jeden Handlung, sondern erblickte sie nur am Ende, und bezog sie auf das Wohlgerathen, auf die gänzliche Erreichung des äusserlichen Endzweckes der That." De externa actione, quam nos vocamus Handlung et That, Aristoteles in definienda notione voluptatis non cogitat. Ἐνέργεια non paulatim procedit, neque a fine suo est separata. Sed dum aliquis videt, jam vidit, ac si visus bonus sive absolutus est, inter ipsum visum jam suaviter est affectus.

Digitized by Google

In generatione enim (γενέσει) eam locum habere, et ab essentia (οὐσίᾳ) alienam esse censet (vid. supr. p. 64). Quod si verum est, cadit voluptas in omnes, in quorum corpore aut animo perfectio aliqua generatur, qui igitur perfectae essentiae appropinquant. Simulac revera pervenerunt ad statum perfectum, generatio est finita, desiit ergo voluptas. Quonam igitur jure Platoni licuit voluptatem addere consummato beatae vitae statui? Quisquis voluptatem percipit, in generatione quadam versatur (nam οὐσία οὐκ ἔστι τὸ παράπαν ἡδονῆς — Phileb. p. 53. C); quum autem omnis generatio sit imperfecta, utpote appetens demum finis (ἐφιεμένη ἄλλου), finem, cujus gratia fit generatio, et statum perfectum ac bonum, ex cujus generatione voluptas redundat, nondum est assecutus[163]). Secundum hanc igitur doctrinam nemo absoluta perfectione fruens, quae jam generata e s t, nec amplius g e n e r a t u r, potest gaudere, neque in beatissimo, quem homines appetunt, vitae statu nec in deorum vita ulli voluptati locus est. Nihilominus vero Plato et absoluto homini et diis, quamquam his non eam, quae corpore percipitur, tamen voluptatem attribuit[164]). Quomodo sibi constiterit, jam nemo non videt. Quaenam harmonia in diis turbata est, e cujus restitutione voluptas possit oriri? Quodnam inest eorum naturae desiderium, cujus expletio iis praebeat voluptatem? Ut igitur diis voluptatem vindicet, Plato in Phaedro (p. 247 D — cf. supr. p. 61 sq.) dicit, uniuscujusque dei mentem, ideas contemplantem, ratione et scientia sincera n u t r i r i. At si nutrimento

---

163) In perfecta et beata vita nihil imperfecti inesse potest. Quidquid autem bonum et perfectum sit, οὐσίαν esse, Plato arbitratur: omnem γένεσιν non quidem esse malum sed imperfectum, mancum, nondum bonum (cf. Sympos. p. 202 A. B). Quare putat, perfectam vitam esse quandam οὐσίαν, ab omni generatione alienam.

164) Phileb. p. 33. B, ubi diis voluptas et dolor abjudicantur, de sola corporis voluptate sermo est. In Phaedro p. 247 „beato deorum generi" maxima esse gaudia dicuntur, nec revera, opinor, beatitatem, quam a diis alienam esse noluit, omni laetitia carere, opinatus est.

Digitized by Google

quodam et mentis pabulo dii replentur, non semper sunt perfecti.

Hae repugnantiae, quibus se Plato implicuit, aliter tolli nequeunt, atque adhibita notione *ἐνεργείας*. Quam quum Plato a generatione et motione, quae fines suos semper extra se habent et, quamdiu sunt, imperfectae sunt, non discreverit, statum (*οὐσίαν*) perfectum, in quo simul esset quidam motus ac generatio, mente concipere non potuit. Omnis mentis actio ei videtur esse restitutio verae animi humani naturae, omnem igitur cogitationem in quadam recordatione et discendi ratione ponit. In discendo sane inest generatio, scientiae scilicet, et qui discit, ad hunc finem discendi nondum pervenit [165]). Qui vero cogitat, jam cogitavit: cogitatio finem suum in se habet, non igitur est motus sed operatio [166]). Sic omnis operatio nec quiescens est essentia, nec generatio imperfecta, sed viva essentia, quae simul in se movetur et quiescit. Atque in tali operatione cernitur beatitudo, quae apud Aristotelem vita quaedam est et *ἐνέργεια* [167]), contra apud Platonem status ab omni generatione et viva motione alienus et *οὐσία*. — Transcribam brevissima Aristotelis verba e Metaph. Θ, 6 p. 1048 B. 23: *νοεῖ καὶ νενόηκεν· ἀλλ' οὐ μανθάνει καὶ μεμάθηκεν, οὐδ' ὑγιάζεται καὶ ὑγίασται· εὖ ζῇ καὶ εὖ ἔζηκεν, ἀλλὰ καὶ εὐδαιμονεῖ καὶ εὐδαιμόνηκεν*, quibus totus a nobis notatus error Platonis significatus est. Corporis voluptatem hic oriri vult e restitutione naturalis harmoniae sive sanatione. Ergo sanitas sive restituta harmonia caret voluptate; nam sanitas cum sanatione nequit esse conjuncta (*οὐχ ὑγιάζεται καὶ ὑγίασται*). Animi voluptatem idem ponit in discendo, quod nihil est nisi generatio sapientiae et a sapientia, fine suo, diversum (*οὐ μανθάνει καὶ με-*

---

165) Itaque recte dicit Plato in Theaet. p. 153. B, *μάθησιν* et *μελέτην*, quibus animus scientias et meliorem statum consequatur, esse *κινήσεις*.

166) Quam ob causam *ἡ νόησις ἔοικεν ἠρεμήσει τινὶ καὶ ἐπιστάσει μᾶλλον ἢ κινήσει*, ut ait Arist. de Anim. I. 3. 17.

167) V. Arist. Metaph. Θ, 8 p. 1050 B. 1. Eth. Nicom. I. 6 sqq.

Digitized by Google

μάθηκεν). Ergo nemo, qui didicit et sapientiam assecutus non amplius discit, gaudet. Beatitudo denique est perfectus status: ergo nemo beatus fruitur voluptate, siquidem haec ex generatione perfectionis percipitur. Aristoteles contra, recta, inquit, sive sana vita (*εὖ ζῆν*), et cogitatio (*νοεῖν*), et beatitudo (*εὐδαιμονεῖν*) nec sunt generationes nec status, sed operationes; atqui ex operationibus voluptates redundant; ergo illae non carent voluptatibus, sed quia sunt operationes perfectissimae et optimae, maximas habent. Si Plato cogitationem a discendo, sanam corporis operationem a sanatione, omnem omnino operationem a motu et generatione distinxisset, sani quoque corporis, ex. c. si sanis oculis operetur, et sapientis mentis esse voluptates vidisset, atque in sciendo et cogitando majorem etiam voluptatem posuisset, quam in discendo et philosophando. Nam proprie, ut ait Arist. (Polit. VIII. 5) *μετὰ λύπης ἡ μάθησις*. Sapientis autem cogitatio est jucundissima operatio et *διαγωγή* (vid. Eth. Nic. X. 7). Confusione operationis cum motu Platonem ab Aristotele differre, jam Simplicius, vir ingeniosus, animadvertit. Vid. Scholl. in Arist. coll. Brandis. p. 359 B. 14: *ἰστέον δὲ ὅτι ὁ Πλάτων μὲν πᾶσαν ἐνέργειαν κίνησιν εἶναί φησι, κατὰ τὴν ἀπὸ τῆς οὐσίας ἐξανάστασιν τοῦ ἐνεργοῦντος θεωρῶν τὴν ἐνέργειαν, Ἀριστοτέλης δὲ καὶ οἱ τούτου φίλοι τὴν μὲν κίνησιν ἐνέργειαν λέγουσιν* [168]), *οὐ πᾶσαν δὲ ἐνέργειαν κίνησιν· οὐ γὰρ δὴ καὶ τὴν τελείαν.*

---

168) Arist. Met. *K*, 9 p. 1065 B. 16: *τὴν τοῦ δυνάμει ᾗ τοιοῦτόν ἐστιν ἐνέργειαν λέγω κίνησιν.* Operatio et effectio (Verwirklichung) aedis, quae nondum est, potentiâ autem jam est, quamdiu talis est necdum perfecta, est aedificatio, motus lignorum etcet. et generatio aedis. (*Κίνησις* h. l., ut Phys. III. 1, pro *μεταβολῇ* sensu generali usurpata est, quo etiam *γένεσις* ei subest — vid. not. 159). Itaque (l. l. p. 1066 A. 20 cf. Phys. III. 2 de Anim. II. 5, 3) *ἥ τε κίνησις ἐνέργεια μὲν εἶναι δοκεῖ τις, ἀτελὴς δέ.* — *Ἐνέργεια* latiori sensu est aut *ἀτελής*, quae est *κίνησις*, aut *τελεία*, quae est proprie sic dicta *ἐνέργεια* (vid. locus not. 161 citatus), de qua sola nos hucusque locuti sumus. Plato etiam hanc perfectam, *τελείαν ἐνέργειαν*, quae finem (*τέλος*) assecuta est et in se gerit, pro motu

Digitized by Google

Et in hac differentia ipsum totum Platonici et Aristotelici systematis discrimen ponere ausim. Nam quid aliud sunt ideae Platonis, nisi *οὐσίαι* quiescentes, omni motu ac generatione destitutae, et fines, qui appetuntur neque in ipsis ad eos tendentibus rebus insunt? ita ut illic sit mera *οὐσία* et immobilis status, hic mera generatio et motio sine stabilitate. Aristoteles docuit ideas, quae vim habeant, nec sint extra et supra res positi fines, sed iis immanentes, ita ut in rerum generatione et motione ipse sit finis et quaedam *οὐσία*. Sed ad hanc sententiam uberius explicandam mox revertendum erit. Nunc transeo ad id, quod Plato de scientiae ad beate vivendum momento sensit, examinandum.

De scientia Platonem vidimus (cap. III.) sic judicasse, ut neminem perfecte beatum esse statueret, quin absolutam scientiam esset consecutus: quam contineri cognitione ipsius boni vel omnium rerum ideoque etiam vitae humanae finis et consilii. Negat, quemquam alium posse cum virtute vivere et recte agere, nisi qui hunc communem finem animo conceperit et ad eum consilia et facta sua dirigat. Quod ita omnem virtutem in scientia posuerit, Plato saepe vituperatus est. Ego vero eum defendo. Virtus enim non in sola externa actione consistit, sed in voluntate. Voluntatem, si vere sit voluntas, semper, quantum possit, in agendo se manifestare, per se patet. Vera autem et bona voluntas nunquam a scientia est segregata. Est enim nihil nisi ipsa scientia ad actionem vergens et transiens, vel mens, quae id, quod bonum esse scit, simul cupit hic vel illic existere [169]). Quaeque scientia (de vera loquor, nam falsa scientia proprie non est scientia) vera scit, quaeque voluntas natura sua vult bona [170]). Verum autem est, quidquid cum fine et consilio, quod rerum univer-

---

atque imperfecta generatione habuit, quippe ab οὐσίᾳ alienam (κατὰ τὴν ἀπὸ τῆς οὐσίας ἐξανάστασιν τοῦ ἐνεργοῦντος θεωρῶν τὴν ἐνέργειαν).

169) Cf. Hegel Philosophie des Rechts §. 4 sqq.

170) Nemo vult mala, quatenus mala sunt. Etiamsi quis malas res appetit, tamen nihil nisi quid boni consequi vult. Arist. Top. VI.

Digitized by Google

sitati inest, sive, quam nos dicimus, cum ratione objectiva congruit: neque quidquam aliud est bonum. Ergo bonum et verum idem sunt, et quae res dicitur vera, quatenus ejus essentia et convenientia cum ratione objectiva, quae dei est, cogitatur: eandem bonam appellamus, quatenus rerum finem sive rationem divinam tamquam agentem et volentem cogitamus, et rem, sive jam est sive erit demum, cum dei agente ratione vel operante voluntate consentire et ad assequendum finem pro sua parte conducere, putamus. Res, quatenus a deo cogitantur, verae sunt: quatenus deus eas vult, bonae. Ad hanc autem divinam cogitationis et voluntatis indifferentiam nos quoque pervenire debemus, eamque eatenus quisque assecutus est, quatenus absolutae scientiae et cogitationis est particeps [171]. Quisquis haec perspexit, Spinozae assentietur, qui, voluntas, inquit, et intellectus unum et idem sunt. Neque aliter sensit Plato, qui ut arbitratus sit, quemquam id nolle, quod bonum esse intellexerit, dici non potest quantum absit. Si quis, quomodo recte faciendum sit, bene scire videatur, et tamen in re aliqua agenda pravam voluntatem prodat, eum hujus rei pravitatem non intellexisse, ille existimat. Nec putandum est, solas cupiditates aliquem ad male agendum trahere ratione ac scientia resistente. Licet aliquis in universum recte agendi rationem bene teneat, ubi obediens malo appetitui aliquid mali vult et agit, non alia est voluntas alia scientia, sed ipsa scientia boni est in hac certa re appetitu obscurata, et ita voluntas, quamvis universe bona sit, in hac re est depravata [172]. Qua de causa Plato jubet quemque

---

8: αὐτὸ βούλησις αὐτοῦ ἀγαθοῦ. cf. Ethic. Nicom. III. 6 et supr. not. 11.

171) Cf. Schelling Vorlesungen über die Methode des akad. Stud. ed. alt. p. 18 sqq.

172) Ne igitur appetitus alicubi scientiam obscurare possint, mens ita est colenda, ut semper iis possit resistere, quod non solum discendo et cognoscendo fit, sed etiam multa exercitatione et consuetudine. Quare etiam Aristoteles recte dicit (Eth. Nic. VI. 13), virtutem non esse solam φρόνησιν, sed non ἄνευ φρονήσεως. Sola

Digitized by Google

hominem omnibus viribus eo maxime eniti, ut quam perfectissimam boni intelligentiam adipiscatur, quippe quam recta voluntas et justa facta sponte sint secutura. Itaque eum omnia humana ex cognitione ipsius boni et intuitu ideae boni pendentia fecisse, vidimus, et qualem voluerit esse hanc boni intelligentiam, exposuimus, si quidem recte disputavimus de idea boni. Quae, quum quasi centrum sit totius systematis Platonici, hic nobis est critice consideranda.

Ubinam cernitur rerum omnium finis et consilium, quod est ipsum bonum? Nusquam nisi in ipsis rebus. Quum cognitum est, cur et quem ad finem existant et extiterint singula quaecunque et in rerum natura et in ingenii humani actionibus cogitationi nostrae objecta, tum demum ad absolutam boni cognitionem est perventum, tum demum intellectum „was die Welt im Innersten zusammenhält". Atque hoc quidem omni philosophiae tamquam ultimum esse propositum, Plato intellexit et primus clare est elocutus. Sed ipsum id jam peregisse et philosophiam absolvisse, nemo contendet. Nec igitur tantum noluit ipsius ideae boni scientiam docere, ut quidam opinari videntur, sed non potuit. Studuit quidem in Timaeo, quomodo idea boni in rerum natura sit expressa, explicare, et singularum rerum fines ac consilia ostendere, sed ut physicae philosophiae fastigium attigerit, multum abest. Item in ethica disciplina multa quidem praeclara effatus est, sed omnes varias humanae voluntatis rationes omnesque agendi formas nondum perspexit et exposuit. Qui igitur ille dici potest, ideam boni perfecte cognitam habuisse? Nam cognoscitur ipsum bonum et rerum finis non aliter atque his ipsis rebus pervestigatis. Est enim idem summa unitas, quae omnia sin-

---

prudentia sane, quae totum hominem non quasi penetrat nec in omnem appetitionem ubique dominatur, ad honeste agendnm non sufficit. Ea autem scientia boni, quae hominem in quaque actione regit nec unquam deserit, est ipsa bona voluntas et virtus. Num quis talem scientiam discendo et exercitatione et consuetudine assequi possit, alia est quaestio. Quisquis autem eam habet, idem simul est bonus.

Digitized by Google

gula consilia complectitur, mente autem nonnisi cum iis, quae complectitur, potest concipi. Unum, quod nihil in se continet, nihil est, et idea quaedam boni quae intellectu ab omnibus singulis rebus bonis abstracto trans rerum mutationem posita fingitur, est inanis. Quodammodo quidem universale aliquid mente a singulis, quae illi subsunt, abstracta potest percipi (*μόγις ὁρᾶσθαι* — vid. not. 58), itaque universale mundi consilium animo comprehendi, sed penitus intelligi et accurate cogitari nequit, nisi cum singularum rerum consiliis. Nisi idea se movet et vim suam exserit in rebus, iisque immanens eas ipsa format et regit, ita ut inter generationem et mutationem quodammodo finem jam in se habeant, nulla est communio ideae cum rebus, hae igitur nec per eam sunt nec cum ea cognoscuntur. Sine universalibus notionibus nulla quidem est scientia, sed si a rebus separantur et extra eas ponuntur, res sine iis existunt ideoque sine iisdem sunt cognoscendae [173]. Ideae sunt universales notiones (*τὰ καθόλου*), quibus omnem scientiam niti, Plato rectissime docuit. Quod vero eas in ipsis rebus immanentes hasque permeantes ac continentes non ostendit, Platonicae philosophiae vitium est: quod maxime in iis, quae de idea boni a Platone dicta sunt, conspicitur. Describit enim eam ita, quasi per se sola cognosci posset, neglectisque omnibus bonis rebus mentis oculi eam possent intueri tamquam elatam supra omnem hujus mundi mutationem. Sine ceteris ideis quidem, ei subjectis, eandem cognoscendam et cogitandam esse, in dialogis non docet, immo in his ipsis eam tamquam rationem et voluntatem divinam vult esse et vigere. Sed consilium mundi eique propositum finem in ejus mutatione quodammodo jam inesse, et se ipsum semper exsequi, rationem igitur divinam, in mundo quodam ideali ob-

173) Haec et multa alia Aristoteles acute et vere, ut opinor, adversus Platonis ideas disputavit, quae omnia persequi difficile et longum est. Unum locum ascribam, qui eorum summam quasi continet. Metaph. *M*, 9 fin: *ἄνευ μὲν τῶν καθόλου οὐκ ἔστιν ἐπιστήμην λαβεῖν· τὸ δὲ χωρίζειν αἴτιον τῶν συμβαινόντων δυσχερῶν περὶ τὰς ἰδέας ἐστίν.*

Digitized by Google

jective extantem, nec quiescere in quodam statu, nec in mera generatione versari, sed quiescentem in se moveri h. e. operari, non animadvertit.

Quod eum multis repugnantiis implicuit, quarum Aristoteles in Ethic. Nicom. I. 4 nonnullas notat. Platonem, ait, ideas earum rerum non constituisse, quibus prius et posterius insit, numerorum igitur esse ideam negasse. Sicuti autem numerorum series ita procedit, ut posterior priorem in se contineat et semper alius alio aut posterior aut prior sit, eadem ratio est finium variorum. Quorum alius alio superior est atque inferiores complectitur et in se continet, donec ad ultimum perventum est, qui omnes fines comprehendit omnibusque posterior est [174]). Posterius quiddam enim est nobis a singulis ad universale ascendentibus (πρὸς ἡμᾶς), prius autem est natura (φύσει), secundum quam id, quod singula complectitur, haec sibi subjecta ita antecedit, ut ea sine ipso non extitissent. Nec vero totum, quamvis singulis prius sit et antecedat quodammodo, sine singulis esse potest. Itaque extremum bonum nusquam est, nisi in singulis bonis. Quae ita inter se sunt connexa, ut, quamvis quidque sui causa sit, tamen etiam ad alia referatur, et aliud alii semper serviat. Membrum enim aliquod corporis et per se spectatur bonumque appellatur, quatenus suo peculiari consilio respondet, et ad totum corpus refertur, atque ut hujus communi consilio serviat, postulatur. Manus igitur tam sui ipsius quam corporis gratia est, ejusque finis fini totius corporis est subjectus, quod hunc non aliter assequitur ac singulis quibusque membris suam bonitatem consecutis. Simili vero ratione, ac corporis membra, singulae mundi res inter se cohaerent, suosque multiplices fines habent inter se connexos. Et rerum universitas tum demum ad suum finem et commune bonum pervenit, quum singulae res suo quaeque peculiari consilio, quod aliis consi-

---

174) Cf. Trendelenburgius de Ideis et Numeris Platon. p. 80 sqq. Biese die Philosophie des Aristoteles II. p. 256. Zeller Platonische Studien p. 243 sqq.

Digitized by Google

liis et cum his uni summo subjectum est, accommodatae sunt et bonae. Quot igitur sunt consilia, tot rationibus de rei bonitate loquimur. Appellatur enim aliqua res bona aut per suam essentiam spectata, aut qualitate, aut quatenus ad aliam rem refertur eamque in consilio assequendo juvat. Itaque qui harum variarum rationum una idea esse potest? Numerorum quidem ideam Plato propterea, opinor, non statuit, quod numerorum series infinita est neque ullus numerus extremus et ultimus. Varia autem rerum consilia finem habent, et est quoddam consilium ultimum ac maxime generale [175]. Sed hoc summum bonum tamquam unam ideam ab omni varietate remotam non magis licet cogitare, quam quis certum numerum, pro summo acceptum, velut centum, animo repraesentare potest, nisi simul de nonaginta et octoginta et ceteris singulis in eo inclusis numeris cogitat. Numerus centenarius est quaedam unitas, sed ubi hoc unum sine multis, quae in eo continentur, cogitatur, nullus est amplius numerus.

Item apparet, si bonum nihil nisi unum esset, et simplex omnium rerum finis, oportere, una esset ejus scientia. Sunt vero perquam varii fines et variae scientiae, velut si finis ac bonum est ubique opportunum temporis momentum deprehendere, hoc in bello scientia militari cognoscitur, in morbis curandis medicina, atque ita totum per omnem rerum universitatem permeans bonum non intelligitur, nisi in singulis rebus, et variis scientiis, quae ad eas pertinent. Quae reputans Aristoteles id, quod Plato postulaverat, ut omnium rerum finis et consilium cognosceretur [176], ita peragere studuit, ut

175) Hoc minime negat Aristoteles, qui nisi rerum agendarum finis aliquis esset summus et extremus, ait in Eth. Nicom. I. 1, nisum nostrum omnemque appetitum, utpote in infinitum progredientem, irritum fore atque inanem, et de quo ib. I. 4 nihil certi statuit, πρὸς ἓν ἅπαντα συντελεῖν, id in Metaphysicis docet. Vid. supr. not. 55 et Metaph. α, 2.

176) Clare hoc apparet ex Socratis verbis in Phaedone p. 97 B sqq., qui, quum quondam audisset ex libro Anaxagorae, mentem omnia

Digitized by Google

ipsam rerum naturam, animum humanum, cogitandi et disserendi rationes ac leges, hominum actiones et instituta, artificum opera diligenter inspiciens et perscrutans, quid singula quaeque consilii haberent, qualiaque esse deberent, ut bona essent, accurate exponeret. Unam sane scientiam esse statuit, quae profecta ab his variis scientiis omnia singula bona comprehendat et in unitatem quandam colligat, quam sicut ipsa non sit sine multis variis scientiis, non ab omni varietate abstrahat et per se cognoscere velit, sed ea tantum ratione, qua ex singulis finibus quasi redundet. Hanc maxime generalem ceterisque superiorem et eas quasi regentem scientiam, quae cum universali rerum consilio et fine summa rerum principia (non vero res ipsas) cognoscat, appellat *σοφίαν* et *ἐπιστήμην θεολογικήν* (v. Metaph. A, 2. E, 1. supr. p. 6). Ita igitur differunt Plato et Aristoteles, ut ille mera univer-

gubernare et ordinare, se speravisse, ait, hunc esse ostensurum *τὸ ἄριστον καὶ τὸ βέλτιστον*, et causam finalem omnium singularum rerum. Nam *εἴ τις βούλοιτο τὴν αἰτίαν εὑρεῖν περὶ ἑκάστου, ὅπῃ γίγνεται ἢ ἀπόλλυται ἢ ἔστι, τοῦτο δεῖν περὶ αὐτοῦ εὑρεῖν, ὅπῃ βέλτιστον αὐτῷ ἐστιν ἢ εἶναι ἢ ἄλλο ὁτιοῦν πάσχειν ἢ ποιεῖν.* p. 98 B: *ἑκάστῳ οὖν αὐτῶν ἀποδιδόντα τὴν αἰτίαν καὶ κοινῇ πᾶσι τὸ ἑκάστῳ βέλτιστον ᾤμην καὶ τὸ κοινὸν πᾶσιν ἐπεκδιηγήσεσθαι ἀγαθόν.* — At Anaxagoras in solas causas efficientes proximas inquisiverat, finalem, quae maxime est causa nam ex ea pendent ceterae (v. p. 99 A B et supr. not. 70), neglexerat, et, per quid singulae res existerent, ostendere studens, cur et quem ad finem existerent atque essent, ne tentaverat quidem docere. Quem multi sequentes *ὡς ἀληθῶς*, inquit ille (p. 99 C) *τἀγαθὸν καὶ δέον ξυνδεῖν καὶ ξυνέχειν οὐδὲν οἴονται. ἐγὼ μὲν οὖν τῆς τοιαύτης αἰτίας, ὅπῃ ποτὲ ἔχει, μαθητὴς ὁτουοῦν ἥδιστ᾽ ἂν γενοίμην· ἐπειδὴ δὲ ταύτην ἐστερήθην καὶ οὔτ᾽ αὐτὸς εὑρεῖν οὔτε παρ᾽ ἄλλου μαθεῖν οἷός τε ἐγενόμην, τὸν δεύτερον πλοῦν ἐπὶ τὴν τῆς αἰτίας ζήτησιν ᾗ πεπραγμάτευμαι, βούλει σοι ἐπίδειξιν ποιήσωμαι, ὦ Κέβης;* — Ad ideas tum dicit se confugisse. Aristoteles ab ideis et meris notionibus (*λόγοις* — ib. p. 99 E) ad res rediit et fines in iis immanentes cognoscendos, et quasi in ea via industrie processit, quam magister se ingredi non potuisse hic confitetur, in Timaeo autem quadam ratione ingressus est.

Digitized by Google

salia teneat, neque ea in singulis immanentia esse ostendat, Aristoteles vero universalia quidem non negligat et per se quoque consideret, simul autem non censeat ea esse revera a singulis separata et abstracta, sed quomodo in singulis quasi vivant, semper ostendere studeat et multifariam ostenderit.

Sed quum uterque arbitrarentur, nniversale illud mundi consilium eumque summum finem, qui rerum universitati insesset, a nullo alio posse mente percipi, nisi a diligentissime philosophato, in communem totius antiquae philosophiae errorem inciderunt, quem non potuerunt evitare, nos autem breviter significare conabimur.

Solum eum esse perfectum virum, Plato judicat, qui scientia summi rerum consilii instructus, quidquid boni et honesti ei faciendum sit, faciat. Nec aliter sensit Aristoteles: et rectissime quidem, ut opinor. Sed unicam viam, quae ad hanc scientiam duceret, opinati sunt, esse philosophiam. Nemo igitur alius iis videtur esse perfecte bonus, nemo perfecte beatus, nisi philosophia edoctus. Ceteros homines existimant somniare, neque habere, quo dirigant sua consilia (v. not. 81). Iustus est, qui cum scientia boni recte agit. Ergo si philosophus solus hac sapientia gaudet, is unus potest esse perfecte justus. Concedit autem Plato, singulis tantum viam ad sapientiam patere, plurimi ut philosophentur, fieri non posse[177]. Ergo multitudo non potest bene ac juste vivere, nec esse beata. Porro siquidem nemo ante mortem perfectam sapientiam assequitur, ut docetur in Phaedone (p. 66 E sqq. 68 A B), ne philosophus quidem in hac vita unquam est beatus. Quae arbitratus Plato beatitudinem humanam ita definivit, ut in hominem, quamdiu vivat, cadere non possit. Sitam enim eam esse censet in statu quodam perfecto, quem nos semper quidem appetamus, in hac vita autem nondum assequamur,

---

177) De Rep. VI. p. 494 A: *φιλόσοφον — — πλῆθος ἀδύνατον εἶναι.* Tim. p. 51 E: *τοῦ μὲν* (*ἀλόγου* generis cognoscendi) *πάντα ἄνδρα μετέχειν φατέον, νοῦ δὲ θεούς, ἀνθρώπων δὲ γένος βαχύ τι.* Cf. Sophist. p. 254 A. Phileb. p. 52 B.

Digitized by Google

quippe quae nihil amplius esse possit, quam generatio perfecti status extra eam positi. Aristoteles contra jam in hac vita nos finem quodammodo posse assequi docet, quia beatitas non in statu quodam sed in operatione boni habitus cernatur [178]. Unusquisque igitur eatenus jam bonus est et beatus, quatenus in bona operatione versatur. Optima autem operatio est optimae hominis partis. Itaque quisquis mente operatur, dum operatur, beatissimus est. Non licet quidem nobis, sicut deo, semper hac operatione gaudere, in singulis vero temporis momentis jam in hac vita participes sumus absolutae beatitatis: quam quisquam a philosophia alienus ideoque optimae operationis non compos haudquaquam contingere potest, unde fit, ut servi, quia philosophiae non vacant, neque ad illam absolutam scientiam et contemplationem pervenire possunt, unquam perfecte beati esse nequeant. — Quae omnia omnem aetatem et Aristoteles [179]) et Plato vere docuissent, nisi alia etiam esset scientia boni praeter illam, quam philosophando consequimur. Atque hanc scientiam absoluti omnium rerum vitaeque humanae finis aperuit Christus, eatenus scilicet, quatenus ad bene beateque vivendum necessaria est. Appellatur ea quidem fides, sed longe differt ab illa opinatione, qua id, quod non certo sciamus, credere plerumque dicimur. In religiosa fide nihil inest incerti, nihil dubii, sed est ea talis scientia, qualis totum animum implet omnesque actiones certissima ratione moderatur. Obnoxia quidem est dubitationi, neque se ipsa sola potest ab obloquentibus defendere: qua re differt a philosophica scientia, quae est nulla nisi religiosa rationibus stabilita (veritas enim una est): sed quamdiu fides

---

178) Ponit summum humanum bonum sive beatitatem in *ψυχῆς ἐνεργείᾳ κατ' ἀρετὴν ἐν βίῳ τελείῳ*. Eth. Nic. I. 6. cf. c. 11. Aristotelicam summi boni notionem Afzelius exposuit in peculiari dissertatione, quae prodiit Upsaliae a. 1837, in meas autem manus non venit.

179) Cf. Polit. VII. 9 et 15. Met. *Λ*, 7. Eth. Nic. X. 6 sqq. Verba cap. 6: *εὐδαιμονίας δ' οὐδεὶς ἀνδραπόδῳ μεταδίδωσιν, εἰ μὴ καὶ βίου*, inepta esse, nisi iis *σχολῆς* vel simile quid addatur, Trendelenburgium in schola monentem audivi.

Digitized by Google

nondum est concussa, veritatem possidet hominemque aptum reddit, qui unoquoque loco et tempore, quod commune mundi consilium sive dei voluntas postulet, faciat. Qua scientia ita aperta, ut nemo sanus ejus non posset particeps fieri, unicuique homini nec minus servo quam ingenuo et diviti via ad eam beatitudinem patefacta est, ad quam antiqui philosophi neminem nisi per philosophiam accedere posse censebant[180]. In fide enim quisque dei voluntatem animo concipit, atque ubi hanc voluntatem in se recepit, idemque volens, quod deus, suo loco id, quod debet, agit, se bonum esse scit deoque conciliatum, itaque laetatur et beatus est.

Hoc modo Christiana demum religione quaestio de summo bono, per totam fere antiquitatem maximis studiis agitata, est dissoluta et finita. Licet vero in definienda scientia ad vitam beatam necessaria magna differentia sit inter absolutam religionem et antiquam philosophiam, tamen ita consentiunt, ut illa in religiosa scientia sive fide, quam justa voluntas bonaque opera semper et necessario comitentur, omnem beatitatem ponat, haec item omnia ex scientia pendere doceat. Primum igitur summi antiquitatis philosophi, Plato et Aristoteles, id annitendum esse praeceperunt, ut animus quam optime se haberet. Quod Ptato docet, justitiam cum sapientia optimum esse animo et omnium bonorum humanorum supremum, cetera enim quoque pleraque fore ut justo viro, quippe qui deo carus sit, quam felicissime obtingant[181] — nonne his placitis jam

---

180) Itaque haud ineptum est, quod, ni fallor, Tertullianus dixit, sua aetate pueros id scire, quod ante Christum sapientissimi viri vix mente comprehenderint. Cfr. verba Clementis Alexandrini in Stromat. I. p. 282 C, quae, quum hunc ipsum librum non ad manum habeam, ex versione Friderici Iacobs (Vermischte Schriften I. p. 44) transcribam: Vor der Erscheinung des Herrn war den Hellenen die Philosophie nothwendig zur Gerechtigkeit; jetzt ist sie nützlich zur Gottseligkeit, indem sie denen, welche nach dem Glauben durch Beweisgründe trachten, zu einer Vorschule dient. —

181) De Rep. X. p. 613 A: τῷ θεοφιλεῖ οὐχ ὁμολογήσομεν, ὅσα γε ἀπὸ

Digitized by Google

simile quid indicatum est, ac Christi verba praecipiunt, qu
hoc libello, ut finis, quo veterum Graecorum doctrina de sum
bono tenderet, significaretur, inscripta esse volui? Quisq
dei voluntatem intelligere, et in omni vita sua peragere stud
n regnum dei jam intrat, eique tum cetera omnia, quibus i
liget, sponte contingent. Utrius tamen sententia purior s
pparet. Nam dum Christus prorsus omnia ex perfecta ani
conditione (in quo est regnum dei) hominisque cum omnip
entis dei voluntate consensione pendere censet, Plato plurim
quidem et gravissima virtuti animi tribuit, non vero prors
nullam vim esse rerum externarum negat, quae vitae qu
materia sunt, in quam itidem, ut in omnem materiam, de
Platonicus non cum absoluta potentia dominatur. Christian
primum et unice quaerit regnum dei et sanctam justitiam, n
proprie quidquam aliud precatur quam, ut pio sanctoque, s
animo: credens tum nihil posse suam beatitatem turbare. Pl
onis preces egregiae quidem sunt, quod animi virtutem co
pore et externis multo superiorem praedicant, sed haec n
omnino pro illi accidentibus ducunt necdum omnem dualismu
relinquunt. Eas dico, quae sub finem Phaedri leguntur. F
xitis, o dii, inquit, ut pulcher evadam intus i
pectore, quaequae autem extra habeam, intern
sint concordantia et accommodata!

Atque haec quidem de eorum, quae Plato de summo bo
docuit, veritate atque erroribus hoc loco satis sit significass
Quae si quem excitassent, ut accuratiori et uberius exposi
examini quum universam Platonis philosophiam tum hanc d
summo bono doctrinam subjiceret, fructum tulissent sat amplu

θεῶν γίγνεται, πάντα γίγνεσθαι ὡς οἷόν τε ἄριστα, εἰ μή τι ἀναγκαῖ
αὐτῷ κακὸν ἐκ προτέρας ἁμαρτίας ὑπῆρχε; Πάνυ μὲν οὖν.

Digitized by Google

HW 2QOW

Digitized by Google